



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Cap. V. Tertium prædestinationis signum, Pœnitentia fructuosa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44272

post peccatum pœnitentiæ dilatio.

reprobi) qui dum imitationi iniquitatis ejus inserviunt, quasi ab ejus corpore imaginis speciem trahunt. Nihil autem ita est diaboli proprium quam impœnitentiæ, & obfirmatio in malo. Et ideo impœnitentes, & perseverantes in peccato, umbræ quantum ad hoc, & simulacra sunt diaboli: atque adeo reprobationis in se imaginem continent. Quia, ut notat Bernardus serm. 11. in Psal. Qui Habitat, cor induratum, quod sic in omnibus viis adhaereat diabolo, manifestè factus est unus spiritus cum eo. Humanum est peccare: non humanum tamen, sed diabolicum est in malo perseverare. Adde perseverantem in malo non modò fieri imitatore[m] diaboli, sed etiam socium ejusdem in inferno, quasi jam ad terminum reprobationis devenit. Quæ est doctrina Isidori lib. 1. sent. c. 14. ubi perpetrare, inquit, flagitium, mors est anime: contemnere pœnitentiã, & permanere in culpa, est post mortem in infernum descendere.

Bernardus.
Peccator
unus spiritus
cum
diabolo.

Bernard.
Perseverantia in peccato diabolica.

Isidorus.
Perseverans
in peccato
jam est in
inferno.

CAPUT V.

Tertium prædestinationis signum, pœnitentiæ fructuosa.

Quoniam allatum est à nobis tanquam secundum prædestinationis signum pœnitentiæ celeritas; hæc autem esse posset pœnitentiæ infructuosa, conjuncta cum celeritate redeundi ad peccata: ideo.

XXXXV.

Dico quintò. Tertium prædestinationis signum est pœnitentiæ fructuosa. Probatum primò ex Lucæ 3. facite fructus dignos pœnitentiæ. Quod expendens Augustinus l. de vera, & falsa pœnitentiæ. c. 27. oportet, inquit, ut pœnitentiã fructificet ad hoc, ut mortuo vitam impetret. Fructus autem pœnitentiæ sunt ejusdem effectus: qui duo, post susceptum pœnitentiæ sacramentum, assignantur à Gregorio homil. 24. in Evang. plangenda non committere, & præterita peccata plangere. Quod videtur desumptum ex Ecclesiast. 21. Fili peccasti: ne adjicias iterum: sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.

Fructus pœnitentiæ
qui sunt.
Lu. 3.

Gregorius.

Eccles. 21.

Prædestinationis signum
pœnitentiæ
fructuosa.

Probatum secundò ratione, pœnitentiã, ut prædestinationis sit signum, esse debere fructuosam; quia permissio peccati in electis est aliquo modo prædestinationis effectus, tanquam ex novo motivo adæquato à Deo directa ad bonum prædestinati, ut probatum est tom. 2. l. 3. q. 4. Hoc autem bonum, quod ex permissione peccati nascitur non est nisi pœnitentiã, ut ibidem ostensum est, ex Ambrosio. Ergo effectus, & signum prædestinationis est, post permissionem peccati, melioratio ex pœnitentiã. Ergo fructus aliqui in prædestinato apparere debent ex pœnitentiã, ad quos ordinata fuerat permissio peccati. Quod autem primus fructus sit emendatio vitæ, sive, ut

Gregor.

loquitur Gregorius, *plangenda non committere*, probatur. Quia non potest fieri accessus ad vitam meliorem post pœnitentiam, nisi pœnitens conservet se in recessu à peccato: quod fit non relabendo ad statum peccati. Ideo dicitur, *Fili peccasti? ne adjicias iterum*. Primum autem signum, quod verè pœniteat commissi peccati, est iterum non

Prov. Arab.

committere. Quamobrem effatum erat sapientium apud Arabes, *omissio peccati reëlior est, quàm executio pœnitentia*: ut habetur cent.

Ambrosius.

2. n. 57. & Ambrosius in epist. ad Cor. c. 5. *Hæc, inquit, est vera pœnitentia, cessare à peccato, Hæc enim probat dolere se, si de cætero desinat*. Consonat his, quod legitur in vitis Patrum l. 7. c. 22. ubi interrogatus Abbas Pimenius, *quid est pœnitentia, respondit pœnitentia peccatorum est ulterius non peccare*.

Iona 3.

Pœnitentia
Ninivitarum
Deo placuit
ob mutatio-
nem vitæ.

Chrysof.

Confirmatur primò è Scripturis, in quibus laudatur pœnitentia Ninivitarum primò, & præcipuè non à pœnis voluntariè susceptis, sed ab emendatione morum, & mutatione vitæ. Cum enim Scriptura narrasset Ionæ c. 3. eorum jejunia, cinerem, & dixisset *vestitos esse saccis à majore usque ad minorem*, subdit hæc verba. *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus, &c.* Ad probandam veram pœnitentiam, quæ divinam misericordiam meruerit, non habita est ratio cineris, sacci, jejuniorum: sed tantummodò dicitur, *vidit Deus quia conversi sunt de via sua mala*. Quæ est animadversio Chrysofostomi hom. 3. ad pop. *Videamus, inquit, quid inevitabilem illam iram soluerit. Num jejunium solum, & saccus? nequaquam; sed totius vitæ mutatio, quoniam conversus est quisque à vitis suis malis*. Idcirco impletum esse oraculum

Everfa est
Ninive vi-
tiosa, surre-
xit virtuosa.

August.
Chrysof.

Ionæ, qui dixerat, *adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, docet Augustinus l. 21. de Civit. c. 24. ubi, *factum est, inquit, quod prædixit Deus. Everfa est enim Ninive, qua mala erat: & bona est adificata, qua non erat*. Nempe subversa est prior Ninive vitiosa, & surrexit nova Ninive virtuosa. Quapropter, ut notat Chrysofostomus in hom. quod nemo læditur, nisi à semetipso. *Si quis tunc ingressus fuisset civitatem Ninivitarum, qui prius eandem novisset, nequaquam eam agnovisset. Adeo repente à turpissima vitæ resiliat ad pietatem*. Quia igitur Ninive mutavit vitam, Deus mutavit sententiam. Quamobrem Hieronymus in vita Fabiolæ, *salix, inquit, pœnitentia, qua furentem sententiam Dei, confesso errore, mutavit*.

XXXXVI.
Pœnitentia
transformat
in virtutem
alterum.
Ambros.

Hic est fructus pœnitentiæ, quam Deus in prædestinationis intendit ex permissione peccati, mutatio vitæ: ita ut ipsemet peccator post pœnitentiam commutatus in alterum, se quodammodo non agnoscat. Quò facit illud, quod narrat Ambrosius l. 2. de pœnitentia c. 10. de quodam adolescente, qui post longam turpis amoris pœnitentiam, cum ei fortè occurrisset mulier, quam deperierat, ac se non agnitam putans dixisset, *illa talis ego sum*; respondit, *sed ego non*

sum ille. Nimirum hic per penitentiam abnegaverat se ipsum, juxta Christi dictum Matth. 16. quia in penitentia nihil tam movet divinam misericordiam, ut supra diximus cum Chrylostomo, quam totius vita mutatio. Hæc autem non fit sine cessatione à peccato, nempe non in eadem recidendo, à quibus quis per penitentiam surrexerat.

Confirmatur secundò, quia prædestinatus per omnia, quoad fieri potest, assimilari debet Christo. Nos enim prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ad Rom. 8. Ergo etiam assimilari debent Christo in resurrectione à peccato, ad vitam gratiæ, ut, quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus, ad Rom. 6. Ideo dicitur Ezech. 33. nolo mortem impij, sed ut convertatur, & vivat. Quod expendens Tertullianus de penit. c. 4. si penitentiam, inquit, mavult, quam mortem; ergo penitentia vita est, quam morti præponit. Sed Christus ita surrexit à morte, ut non iterum in mortem reciderit. Ideo dicitur ad Rom. 6. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ergo, si penitens ita resurgat à morte peccati, ut mors illi ultra non dominetur, erit in hoc perfectè similis ejus resurrectio à peccato resurrectioni Christi. Ergo habet in hoc suum prædestinationis signum, quod Christo etiam assimilabitur in resurrectione ad vitam gloriæ, configuratus corpori claritatis ejus, ad Philipp. 3.

Confirmatur tertio; quia miracula, quæ Christus edidit in salute corporum, fuerunt ita perfecta, ut nemini opus fuerit iteratione miraculi. Neque enim Christus legitur bis eundem ægrotum sanasse, bis eundem cæcum illuminasse, bis eundem mortuum resuscitasse. Ergo, cum quis ita sanatur, illuminatur, resuscitatur per penitentiam, ut iterum non recidat in morbum, in cæcitatem, in mortem peccati: signum est quod speciali modo curatus est à Christo; nempe per specialia, & efficacia auxilia. E quibus, sicut habet diuturnam conservationem in recuperata gratia, ita potest sperare perseverantiam finalem in gratia: qui ultimus est in hac vita prædestinationis effectus. Hoc argumento abusi sunt Hæretici ad probandum non admittendos esse ad penitentiam relapsos. Sed Augustinus eo utitur ad probandum, non iterandum esse post penitentiam peccatum. Ita enim habet l. de vera, & falsa penit. c. 5. Quem cæcum, inquit, bis illuminavit? quem leprosum bis mandavit? quem mortuum bis suscitavit? & infra. Ideo non scribitur aliquis nisi semel sanatus, ne timeat quisque jungi peccato. Id est, ut quisque timeat sæpius in idem peccatum recidere. Qui timor à vera penitentia procedit: & sic prædestinationis est signum, cujus effectus est penitentia vera, & fructuosa.

Confirmatur quarto exemplo electorum, qui à Christo ad peni-

Chrysoft.

XLVII.

Magdalena
per pœnitē-
tiam virgi-
nes supera-
vit.

Matth. 26.

Petri pœni-
tentia cœ-
pit à fuga
occasionis
peccandi.

Beda.

Matthæus
ad telonium
ultra non
rediit.

Gregor.

Zacchæi
Pœnitentia
cepit à re-
stitutione
bonorum.

Luca 19.

Conscientia
potius col-
locanda in
tuto est,
quàm pecu-
nia.

Beda.

tentiam vocati, ad pristina non sunt relapsi. Hoc apparet primò in Magdalena, qua priùs, ut notat Chrylostomus homil. 6. in Matth. meretrix, virgines quoque ipsas honestate superavit, à maximis sordibus peccatorum largissimo lachrymarum fonte purgata. Idem serm. in peccatr. & phar. hæc, inquit, pœnitentiam egit; & illico quavis virgine castior, ac verecundior evasit.

Apparet secundò in Petro, qui post trinam negationem egressus foras flevit amarè Matth. 26. Egressus autem est foras, privans se ipsomet Christi conspectu, ut ab occasione iterum peccandi se eriperet. Quippe quæ fuerat atrium Caiphæ, & sermocinatio cum aulicis. Quod animadvertens Beda in eum locum, egressus, inquit, foras. Nec enim in atrio Caiphæ retentus agere poterat pœnitentiam: ut ab impiorum concilio secretus pavida negationis sordes liberis flatibus abluat.

Apparet tertio in Matthæo, qui vocatus à telonio, ad ea negotia, quæ peccati occasio esse poterant, ultra non rediit. Quod expendens Gregorius homil. 24. in Evangelio, Piscatorem, inquit, Petrum, Matthæum verò telonearium scimus. Et post conversionem suam ad piscationem Petrus rediit: Matthæus vero ad telonei negotium non resedit. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat.

Apparet quartò in Zacchæo. Qui, cum numeraretur inter publicanos, & peccatores, à Christo vocatus ad pœnitentiam, non solum in posterum à fraudibus, ac furtis abstinuit, sed etiam dimidium bonorum suorum dedit pauperibus: & siquid aliquem defraudaverat, reddidit quadruplum. Luc. 19. Quo exemplo monentur ij, qui post damnificationem proximi ad pœnitentiam transeunt, quid agere debeant, ut signum in se veræ pœnitentiæ, ac prædestinationis exhibeant. Neque enim Zacchæus expectavit ad restitutionem à Christo obligari: aut eundem consuluit, ad quid præcisè teneretur: neque allegavit in dubio meliorem esse conditionem possidentis: sed in dubio, si quid aliquem defraudasset, non tantumdem, sed quadruplum reddidit. Insuper opera supererogationis adjunxit dando dimidium bonorum pauperibus. Hoc scilicet caractere insigniuntur ij ex electis, qui ex illicitis ad pœnitentiam veniunt. Hi namque in restitutione ablatorum magis in tuto conscientiam collocant, quàm pecuniam. Quod expendens Beda in eum locum l. 5. cap. 77. Zacchæus, inquit, in fidei veritate persistens, non solum se ex peccatore conversum, sed etiam inter perfectos probat esse versatum, dicente Domino, si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus. Quod utique fecit Zacchæus, vel ut eleemosynis compensaret peccata: vel ut omnem sibi eximeret scrupulum de retentione ablatorum, restituendo

pauperibus, quod substulerat ab incertis: ne scilicet renovaret in injusta retentione peccatum, quod commiserat in injusta acceptione.

Quod est proprium penitentiam electorum efficaciter caventium, ne in eadem relabantur. Hoc innuitur Cant. 5. dum dicitur ex persona animæ veraciter penitentis, *expoliavi me tunica mea: quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Id est expoliavi me habitu vitioso, de quo dicit Apostolus ad Coloss. 3. *expoliantes nos veterem hominem*; quomodo igitur iterum eum induam? *lavi pedes meos*, id est affectus meos malos fonte lachrymarum in sacramento penitentiae: quomodo iterum ad peccatorum sordes rediens *inquinabo illos?* Quæ est expositio trium Patrum apud Theodoretum in hunc locum. *Expoliavi me veteri mea peccati tunica, quam ex transgressione contraxeram: quomodo induam illam, splendido jam indumento depulsam? lavi pedes meos: quomodo illos improbarum cupiditatum vestigia sequens inquinabo?* Et, ut apud eundem Psellus, *Ablui sordes à pedibus meis, eosque in semitam salutis direxi: non ullo unquam tempore me retro convertens inquinabo.* Hi penitentis effectus signa sunt animæ per penitentiam prædestinatæ. Quamobrem Nyssenius in eundem locum *confessio, inquit, qua pollicetur à se nunquam tunicam reiectam resumendam, & pedes terrenis affectibus inquinandos, parat aditum animæ ad Deum.* Qui utique ultimus est prædestinationis terminus. Et sic talis dispositio est prædestinationis effectus, & signum.

Denique hoc electorum est proprium, ut per penitentiam existiment se *mortuos esse peccato, viventes autem Deo.* Ad Rom. 6. quod exponens sanctus Prosper l. de vita contempl. c. 21. *quid est, inquit, mori peccato nisi damnandis operibus omnino non vivere, nihil ambire, nihil carnaliter concupiscere?* Et infra, *Quem non facit impudentem audacia; iniquum iniustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, deliciosum gula, vanum iactantia, levem facilitas, impatientem mobilitas, iracundum animositas, suspiciosum perveritas, verbosum vanitas, iniuriosum malignitas. Qui remotus est prorsus ab illecebris secularibus, remotus ab immundiciis & inimiciis; remotus ab insidiis, remotus à rapinis, remotus à mendaciis, postremo remotus ab omni genere flagitiorum atque facinorum, quibus carnaliter viventes Deum offendunt. Sicut carne mortuus, neque hæc facere potest, nec pati: ita & talibus vitiis omnino non vivit.* Hoc est verè mori peccato, qui primus effectus est veræ penitentiae, in quo electi dignoscuntur à reprobis: quorum est post penitentiam relabi, ut ostenderetur inferiùs. Primus autem effectus penitentiae ponitur hic totalis, & constans recessus à malo. Quia prior est recessus à terripino à quo, quam sit accessus ad terminum ad quem, juxta illud Psalm. 36. *declina à malo, & fac bonum.* Ideo dicitur Eccles.

XLVIII.

Habitus vitiosus semel depositus iterum non resumendus.

Cantic. 5.

Coloss. 3.

Trium Patrum expositio Theodoret.

Psellus.

Nyssenius.

Penitentes veri moriuntur peccato.

Rom. 6.

Prosper.

Mori peccato quid sit.

Psalm. 36.

Eccles. 21. loco citato. *Fili peccasti? ne adicias iterum.* Sequitur. *Sed & de pristinis deprecare, ut dimittantur.* Qui est secundus effectus, seu fructus pœnitentiæ, assignatus etiam à Gregorio tribuente pœnitentiæ hæc duo munera, *plangenda iterum non committere, & præterita peccata plangere,* ut supra notatum est.

XLIX.
Prædestinationis signum de testatio perpetua præteritorum.

Ambros.
Permissio peccati propter pœnitentiam. *Rom. 8.*
Glossa
August.
Prædestinationis etiam peccata cooperantur in bonum. Post peccatum certum incertitudo veniæ.

Quod autem hoc prædestinationis signum integretur non solum ex non iteratione novi peccati, de qua dictum est; sed etiam ex fletu præteriti, probatur; quia permissio peccati in electis intenditur à deo ad illorum majus bonum, eo modo, quo explicatum est tomo 2. l. 3. q. 4. Ergo non potest intendi à Deo in electo permissio unius peccati propter hoc tantum, ut ultra non peccet: cum melius sit simpliciter non peccare, quàm non ulterius peccare. Ergo aliquod aliud bonum à Deo intenditur ex hac permissione in electis, ortum ex pœnitentia, quod non fuisset ante pœnitentiam. Nempe, quemadmodum dicit Ambrosius l. de Paradiso c. 8. *ut per pœnitentiam delictorum fenerator postea gratia in hominis redeat affectum.* Ideo dicitur ad Rom. 8. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ubi Glossa, & alij, *etiam peccata.* Quem locum expendens Augustinus l. de corrept. & grat. c. 9. *usque adeo, inquit, prorsus omnia, ut si qui eorum (electorum) exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeunt, ac doctiores.* Hoc autem potissimum præstat memoria dolorosa peccatorum, quod dicit Gregorius, *perpetrata plangere.* Idque requiritur propter multa.

Primò ad certitudinem majorem veniæ. Certi enim sumus ex mortali peccato nos contraxisse reatum æternæ pœnæ: certi non sumus de venia: tum ex parte nostra, quia certi non sumus, an in nobis fuerit verus dolor peccati, an fuerit verè supernaturalis, an fuerit super omnia mala saltem temporalia: quod ad minimum requiritur ad hoc, ut dolor ille sit dispositio sufficiens ad confessionem sacramentalem: cum fundare debeat propositum non peccandi de cætero, extendens se saltem implicite ad quæcumque circumstantiam boni, vel mali temporalis. Tum etiam ex parte confessarij. Cum non simus omnimodè certi de charactere, de potestate, aliisque circumstantiis ex ejus parte requisitis ad absolutionis valorem. Quamobrem signum est prædestinati de sua salute solliciti detestationem eorumdem peccatorum sæpius iterare: ut magis in tuto spem veniæ collocet. Idcirco monetur unusquisque *Eccles. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu.* Id est de peccato, quod putas esse remissum, *noli esse sine metu: ne fortè non sit remissum.* Quod explicat versio Syriaca, & Arabica, *ne confidas de remissione.* Et Tigurina, *super data venia ne sis securus.* Quod egregiè confirmat Gregorius lib. 6. Ep. 22. ad Gregoriam, quæ erat Imperatrici à cubiculis. Ubi *secura, inquit, de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum*
jama

nam in vita eue die ultimo plangere eadem non valebis. Qua dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpar debes: atque eas fletibus quotidianis lavare. Certè Paulus in tertium cœlum ascenderat: in Paradisum ductus fuerat: arcana verba audierat, qua non licet homini loqui: & tamen adhuc trepidans dicebat, castigo corpus meum, & servituti subijcio: ne fortè aliis prædicans ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui in cœlum ducitur: & timere non vult, qui adhuc conversatur in terris? Hæc incertitudo veniæ post peccatum adeo permovere solet prædestinatos, ut non raro media quædam extraordinaria adhibeant ad hanc certitudinem assequendam.

Mulier quædam peccatrix, ut narratur in vitis Patrum l. i. c. 10. *Vita Patr.* cum jam pœnitens sua defleret scelera, ea sigillatim conscripsit, paginamque sigillo obsignatam detulit ad magnum Basilium Neocesareæ Episcopum, vehementissimè rogans, ut suis precibus impetraret certam earum culparum, quæ ibi adnotatæ erant, remissionem. Oravit totam noctem, ac diei sequentis partem Basilius: ac post missæ sacrificium peractum, schedulam aperuit, in qua peccata omnia deleta reperit, præter unum, idque gravissimum. Non acquievit mulier, magnis fletibus à Basilio petens, ut illud quoque facinus ejus aggeminitis precibus expungeretur è pagina. Renuit Basilius muliere missa ad sanctissimum virum Ephremum, qui in eremo degebat. Hic à muliere, per quam plurima longi itineris quæsitus, ac repertus incommoda, eam remisit ad Basilium: ut sicut cæterorum, ita quoque illius unius criminis, cujus eam sollicitudo angebat, certam veniam obtineret. Reversa mulier ad urbem, cum duci videret funus Basilij jam defuncti, magnis clamoribus schedam projecit in pheretrum, unde recepta, inventa est prorsus candida, ac si nullis unquam fuisset characteribus obsignata, certum exultanti mulieri pignus obtentæ veniæ de eo quoque flagitio, cujus remissio in dubium revocabatur.

Simile quid legitur in vita B. Emerici, ad cujus sepulchrum cum Conradus quidam, homo, qui in flagitiis vitam duxerat, eaque summo Pontifici confessus fuerat, accessisset, ac paginam, in qua peccata conscripserat, quamque pluribus catenis constrinxerat, solutam reperit, ac notæ omnis expertem, certam vadem obtentæ veniæ. Hac sancta sollicitudine à præteritis peccatis incussa affecti erant ij, qui voluntariè se carceri pœnitentiæ mancipantes, ut narrat Climacus *Climacus.* de accurata pœnitentia gradu 5. flebiliter, & dolenter dicebant. *Pœnitentiū* Putasne apparebit Dominus ultra super nos? Alij verò, num per. *carcer.* transit anima nostra debitum intolerabile? Alij putasne adjiciet Dominus ultra consolari in nobis? Putasne audiemus illum dicentem nobis, qui sumus in vinculis insolubilibus, exite: & qui in inferno.

pœnitentia sedemus, laxamini? Putasne clamor noster ad aures Domini ingressus est? Cuncti verò sedebant, semper ante oculos suos mortem attendentes, & dicentes. Quid putatis continget? Quanam erit illa sententia? Quis finis noster? Putasne erit revocatio? num superest ultra spes veniæ mæstis reis? num valuit oratio nostra ingredi ante conspectum Domini: an meritò repudiata est, atque abiecta? Aut, si fortè intravit, quantum peregit? quantum placavit Deum? quantum profecit? emissa quippe ex immundis labiis parum habere potuit virium. Putasne appropinquaverunt nobis Angeli custodes nostri, an adhuc longius à nobis stant? Ex his liquidò apparet, quàm sit propria electorum sancta hæc de impetrata veniæ incertitudo: ex qua, tanquam ex humilitatis magistra, de salute potiùs certiorantur.

Angeli custodes procul se à peccatoribus amovent. Memoria peccatorum ad placandam iram divinam.

L.
Pœna peccati auxiliorum quorundam specialium denegatio.

Cathar.

Secundò requiritur ad prædestinationis signum dolorosa hæc peccatorum memoria propter advertendam Dei iram: ne ea nobis auxilia denegat, quæ propter admissa peccata justè denegat. Quippe, etiam data certitudine, quod peccata præterita sint condonata, adhuc remisso peccato, remanet ex parte nostra habitus vitiosus: ex parte Dei, tanquam pœna peccati, denegatio eorum specialium auxiliorum, quæ data fuissent, nisi præcessisset peccatum: quæ pœna non totaliter remittitur cum peccato. Unde fit, ut ex una parte urgente habitu vitioso, ex altera denegatis auxiliis amplioribus, peccator pœnitens, renovata occasione, in periculo semper sit novi peccati, Cujus permissio est pœna peccati præteriti, remissi quoad culpam, sed non totaliter quoad pœnam. Ideo ad hanc advertendam, totaliter Deum placandum electi, post peccata etiam condonata, iterum, atque iterum ea sibi postulant condonari. Et in hoc sensu Catharinus opusc. de certitudine gratiæ intelligit verba supra citata Eccles. *de propitiato peccato noli esse sine metu.* Id est, etiamsi certus sis de veniæ peccati præteriti, noli esse sine metu peccati futuri: (quippe metus propriè versatur circa malum imminens, & futurum) cujus permissio facillè trahi potest ex denegatione aliquorum specialium auxiliorum ex vi peccati præteriti, nondum planè deleti quantum ad pœnam: quoad quam non est peccator planè restitutus in statum pristinum. Sicut, si Rex aulico sibi charo dimittat crimen perduellionis, & pœnam capitis: non idcirco eum restituit in gradum pristinum, neque oculo tam benigno aspicit, quo ante perduellionem: usque dum memoriam criminis factis inferioribus diluat.

Psal. 50. Patet ex Ps. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* David enim certò noverat sibi dimissum fuisse peccatum ex verbis Nathan. 2. Reg. 12. *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Et, cum sciret se lotum esse ac mundatum, petit amplius se lavari, & mundari, *Amplius lava me, &c.* cum tamen peccati

A peccato amplius lavari quid sit.
2. Reg. 12.

macula consistat in indivisibili : neque possit ex parte tolli, ex parte uon. Nimirum postulabat se amplius lavari quantum ad penam relictam à peccato : & poscebat restitui se in gradum pristinum divinæ amicitiae. Est animadversio Chrysofomi hom. 2. in Ps. 50. ubi, *Chrysof.*
quid amplius queris o David? Audi prophetam dicentem, Dominus dimisit peccatum tuum. Non quero solum peccata dimitti: sed & decorem meum pristinum quero. Dele, inquit, & amplius lava me, Plus aliquid quero, majorem honorem; majorem gloriam. Nimirum, præter remissionem culpæ, quam impetraverat, petebat sibi dimitti eam penam Dei adhuc subirati aliqua auxilia denegantis, & cupiebat restitui in gradum pristini honoris, & familiaritatis cum Deo.

Hoc idem insinuabant Sancti illi penitentes, de quibus Climacus *Climacus.*
 loco cit. cum dicebant, *Putasne nostra oratio omnino reconciliavit judicem, an ex parte? An vulnerum vel medietas deleta est?* Cum autem peccata lethalia, quæ sunt animæ vulnera, non deleantur, sive sanentur ex parte, debet hoc intelligi de eorum deletione quoad penam: quæ deleri potest quoad partem, & partem. Ideo pena relictæ post vulnus peccati appellatur cicatrix, quæ vestigium est obducti vulneris. Quamobrem Chrysofomus in Psal. 50. hom. 2. loquens de *Chrysof.*
 penitentia Davidis, *Ablatum est, inquit, peccatum: sed vult, & cicatricem extenuare. Ablatum est vulnus: vult & pulchritudinem recipere: Ideo dicit miserere mei Deus, &c.* Non obducitur hæc cicatrix, nisi cum remissa jam culpa, remittitur etiam pena peccati; præsertim pena spiritualis denegationis auxiliorum, quam electi maxime reformidant. Hac pena remissa, dicitur Deus non recordari peccatorum Ezechiel. 18. *si impius egerit penitentiam, &c. omnium iniquitatum ejus non recordabor, quia ita se gerit, ac si non recordaretur, neque quoad culpam, neque quoad penam.* *Ezech. 18.*

Ideo ex parte penitentis magnum prædestinationis est signum memoria peccatorum: quia signum est ex parte Dei oblivionis peccatorum. Memoria enim peccatorum in nobis parit oblivionem in Deo: oblivio in nobis memoriam in Deo. Idcirco David Ps. 50. petebat à Domino, ut deleteret omnino peccatum suum: & assignat pro ratione, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.* Quæ verba idem exponens hom. cit. *Ego, inquit, illud video: tu ne consideres. Ego scribo: tu dele. Vide enim quid sit; si tu memor sis, Deus non erit memor: si tu oblitus fueris, Deus memorabitur.* Sicut igitur reprobationis est signum peccata commissa non coram se, sed post tergum ponere: quia signum est ea adhuc representari coram Deo ad vindictam: ita prædestinationis est signum, si quis potest dicere, *peccatum meum coram me est semper: quia signum est jam esse post tergum Dei: &* *LI.*
Peccata qui ante se ponit, tollit à

conspectu Dei, & e contra. *Isaia 38. August. Psal. 49.* poterit idem dicere confidenter, *proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Il. 38.* Ideo August. hom. 2. inter 50. tolle, inquit, te à dorso tuo: ubi te videre non vis: & constitue te ante te: ne tu postea à Deo iudice fias ante te (alludit ad illud Ps. 49. arguam te, & statuas contra faciem tuam) & non sit, quò fugias à te. Signum igitur quod Deus non respiciat ultra peccata nostra est, quando nos illa respicimus. Quamobrem Gregorius parte tertia Past. admon. 3. admonendi, inquit, sunt, ut incessanter admissa ante oculos reducant. David, cum peteret, averte faciem tuam à peccatis meis, paulò superius intulit, delictum meum coram me est semper. Ac si diceret, peccatum meum ne respicias postulo: quia hoc ego respicere ipse non cesso.

Peccatorum, quæ commissimus, ad certa ea redigendo capita, quotidiana recordatio. *Thren. 3. Gregor.* Qui prædestinati sunt per statum pœnitentiæ post peccata, solent eorum quotidie recordari. Quod facilius, & utiliùs fieri potest, si graviora ex iis ad certa capita redigantur: de quorum singulis cum detestatione, ac dolore specialiùs quotidie venia flagitetur; quasi distribuendo actus doloris, & lachrymas juxta divisiones peccatorum. Quod innuitur *Thren. 3. divisiones aquarum deduxerunt oculi mei.* Hoc monet expressè Gregorius loco cit. ubi admonendi, inquit, sunt ut singula quæque admissa considerent: & dum per unumquodque erroris sui iniquationem desilent, simul se, ac totos lachrymis mudent. Unde benè per Hieremiam dicitur, divisiones aquarum deduxit oculus meus. Divisas quippe ex oculis aquas deducimus, quando peccatis singulis dispertitas lachrymas damus.

David peccata sua semper coram se tanquam in imagine depicta cernebat. *Chrysof.* Comprobatur hoc exemplo Davidis, qui, ut expendit Chrystomus homil. cit. *quamvis condonatum sibi fuerit, non est oblitus peccati sui: sed in conscientia tanquam in imagine adulterium, & homicidium depictum habebat.* Et per singulos dies videbat putredinem, & dicebat, peccatum meum coram me est semper. Quo autem animi dolore, qua detestatione id faceret, satis explicat illud ex vulgata, *peccatum meum contra me est semper.* Quasi peccatum, quia voluntati Dei adversatur, etiam sibi tanquam adversarium agnosceret, & multitudinem peccatorum tanquam acies hostium. Quod egregiè declarat Ambr. l. de Apologia David. cap. 9. ubi dicitur, *scilicet assignans, inter eos, qui peccant ex reprobis, & eos, qui peccant ex electis, Inspiciens, inquit, suis delectatur erroribus: & novis vetera obumbrando peccatis, se existimat adjuvari. At verò sapiens adversum se judicat esse delictum suum: & tanquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum adversantium modo sibi arbitratur obistere. Quidquid personuerit, culpa ei propria semper occurrit. Quidquid fuerit dictum, aut lectum, in se dictum putat. Quidquid intenderit, se nutu, se oculis signari confet. Si epuletur, si cogitet, si oret, ante te oculos ejus semper est proprius error: & momentis omnibus pulsat*

Conscientiæ stimuli de peccatis.

conscientiam culpa: nec quiescere, nec oblivisci sinit: ac se terrore perpetuo, velut gravis censor, exagitat. Ipse sui accusator, ipse sui testis est: nec invenit, quò fugiat, qui se perurget, & stimulat. Idem monet Augustinus tom. 10. hom. 50. de necessitate penitentiae, ubi ascendet, inquit, homo adversum se tribunal mentis sua constituet se ante faciem suam: ne ei postea dicatur, arguam te, & statutam contra faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio, adfit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Hic timor, ne Deus, adhuc post remissam culpam, remaneat non omnino reconciliatus quoad poenam subductionis, aut diminutionis specialium auxiliorum, carnifex est animae electorum post peccatum: & signum est magnum praedestinationis, quia conducit maximè ad impetranda à Deo ea auxilia, quae dedisset ante peccatum. Ita haec memoria peccatorum ex parte penitentis inducit in Deo eorundem oblivionem, & quoad culpam, & quoad poenam praesertim spirituales, juxta promissum Ezech. 33. *Iniquitatum ejus non recordabor amplius: restituens peccatorem in statum pristinum specialis protectionis divinae: cujus est ad finem praedestinationis perducere.*

Tertiò requiritur haec dolorosa memoria peccatorum ad emendationem, & correctionem vitae, nempe ad praecavendum, ne in eadem iterum incuratur. Turpitudine enim, & gravitas perspecta peccati odium illius inducit: ex quo voluntas peccandi. Quare Chrysostomus hom. 5. de penitent. *deceat*, inquit, & nos purgatos à peccatis eadem ante oculos habere peccata. Etenim praecedentium memoria, futurorum sit continentia. Et, qui in prioribus lapsus est, in secundis firmiorem ostendet sententiam. Innuit hoc David Ps. 50. *iniquitatem meam ego cognosco*, id est turpitudinem, & deformitatem illius. Quae cognitio maximè facit ad totius vitae mutationem: & ideo infra subditur, *cor mundum crea in me Deus*. Haec mutatio cordis ex memoria peccatorum aptè exprimitur mystetiosa illa Graecorum fabula apud Ovid. metamorph. l. 4. rursissimae medusae anguibus pro crinibus obvallatae: quam, qui inspexisset, illico in lapidem vertebatur. Quippe deformis facies praeteritae conscientiae, peccatorum colubris implicatae, juxta illud Eccles. *quasi à facie colubri fuge peccatum*, in penitentis mente perspecta, metamorphosim quamdam facit: quae non hominem in lapidem, sed cor lapideum vertit in carneum, juxta illud Ezech. 36. *auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo cor carneum: ex mutato corde est totius vitae mutatio, quod innuit Christus Matth. 16. cum dixit, abneget semetipsum* Quae verba expendens Gregor. ho. 32. in Evang. *Relinquamus*, inquit, *nosmetipsos quales peccando nos fecimus: & maneamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus. Ecce, qui superbus fuit, si conversus*

August.
Conscientiae
tribunal, ju-
dex testis,
accusator,
carnifex.

Ezech. 33.

LII.
Memoria
peccatorum
ad emenda-
tionem vitae.
Chrysost.

Ps. 50.

Ovidius.
Peccatorum
memoria
transformat,
ut aspectus
Medusae
crinibus
serpentinae.
Cordis mu-
tatio.

Ezech. 36.

Peccator
quomodo
transforme-
tur per pen-
itentiam.
Matth. 16.
Gregorius.

ad Christum humilis factus est, semetipsum reliquit. Si luxuriosus ad continentiam vitam mutaverit, abnegavit utique, quod fuit. Si avarus quisque ambire jam desit, & largiri didicit propria, qui prius aliena rapiebat: hic utique semetipsum reliquit. Ipse quidem est per naturam, sed non ipse per malitiam. Hinc enim Scriptura dicit, verte impios, & non erunt in essentia, sed quia in culpa impietatis non erunt. Hanc metamorphosim, quæ ex consideratione peccati, quasi ex aspectu Medusæ à Deo fit per pœnitentiam, explicat egregiè Chrysostronus in Pl. 50. hom. 2. ubi loquens de efficacia pœnitentiæ in Paulo, Considerate, inquit, Apostolum prius persecutorem, postea annuntiatorem: prius persecutorem, postea dispensatorem: ante hoc zizania, post hoc frumentum: antea lupum, postea pastorem: ante plumbum, postmodum aurum (admirabili pœnitentiæ, ut vocant, Alchimia, plumbum convertente in aurum) antea piratam, postea gubernatorem: antea dispersorem ovium, postea dispensatorem Ecclesiæ: prius evellentem vineam, postea plantantem: prius dissipantem, & postea adificantem.

Chrysostr.
LIII.
Pauli metamorphosim.

Paulus peccata commissa perpetuo deflebat.

August.

Memoria peccatorum ad magistrum humilitatis.

Augustin.

Hæc mutatio in Paulo fuit ex assidua meditatione peccatorum, quæ in Iudaismo patrauerat. Quia scilicet, ut testatur Augustinus l. de vera, & falsa pœnitentia c. 13. Apostolus peccata etiam remissa continue plorabat.

Quartò requiritur dolorosa hæc memoria peccatorum ad magisterium humilitatis. Ratio est, quia Deus permittit in electis peccata potissima propter hoc, ut humiliores reddantur, uti supra diximus ex Augustino. Ergo, tunc permissio peccati prædestinationis est signum, cum post peccatum apparet tanquam effectus hujus permissionis humilitas.

Patet id primò in Davide: qui non contentus aperuisse se culpam suam Prophetæ Natan, non erubuit conscripto Psalmo quinquagesimo, illud vulgare posteritati. Dum, ut notat Ambros. l. 2. de Apol. David. c. 4. confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmissit. Ita ut, quemadmodum advertit Chrysostronus hom. 2. in Pl. 50. etiam postera generationi fieret illius passio medicina: & aliis portus illius naufragium.

Ambros.

Davidis humilitas post peccatum.

Chrysostr.

Davidis peccatum medicina posteritatis.

Luc. 18.

Publicani humilitas quam vim dedit pœnitentiæ.

Patet secundò in parabola Publicani Lucæ 18. qui à longè stans nolebat, nec oculos ad cælum levare. Quæ humilitas, quam vim dedit pœnitentiæ, expendit Augustinus serm. 16. de verbis Domini, ubi Publicanus, inquit, longè stabat: sed tamen Deo ipse propinquabat. Oculos ad cælum non levabat: ut aspiceretur (à Deo) non aspiciebat. Respicere sursum non audebat; spes sublevabat. Hic humilis deprecandi pro peccatis modus proprius, & perpetuus est electorum. Adeoque est divinæ misericordiæ conciliativus, ut si ponatur ex una parte virtus conjuncta superbiæ, ut fuit in Pharisæo, ex alia parte peccatum cum humilitate conjunctum, ut fuit in publi-

cano: & utramque hanc veluti bigam ad Deum currere; anteiret utique virtuti peccatum. Quæ est animadversio Chryl. ho. 5. de incompr. Dei nat. ubi *finge*, inquit, *animo bigam duplicem: quarum in altera virtus juncta sit cum superbia, in altera cum humilitate peccatum. Videbis bigam illam peccati facile anteire virtuti, palmamque obtinere, non pernecitate peccati, sed vigore humilitatis. Contra verò bigam alteram retardari, ac vinci non imbecillitate virtutis, sed pondere, ac mole superbia. Hoc exemplo Pharisei, & Publicani perspicies, junxerat Phariseus invidiam cum superbia, &c. quæ ibi fufius.*

Patet tertio in sanctis viris: quorum proprium semper fuit, antea vitæ peccata ad humilitatis exercitium recolere. Quamobrem de sanctis illis penitentibus narrat Climacus loco cit. vidisse se eos ex cogitatione peccatorum *summo mæore affectos, totos tenebris obritos, ad omnia vitæ huius insensibiles factos: mentem quippe in humilitatis abyssos demerserant.* Hos imitatus B. Franciscus Borgia, ut habetur in ejus vita, locum sibi apud inferos sub Iudæ pedibus constituerat: quem suis culpis promeritum se existimabat, & perpetua cogitatione peccatorum occupatus, mirabatur se non ab omnibus, conuiciis, & lapidibus impeti: ac non omnes in se creaturas insurgere tanquam adversum hominem in inferno damnatum. Hac eadem consideratione utebatur Anselmus qui libro de similit. c. 101. *peccando, inquit, non solum iram Dei promerimus; sed etiam totum creaturæ adversum nos excitavimus. Potest ergo nobis iusta consideratione terra dicere, non debeo vos sustinere, sed potius absorbere: quoniam à creatore meo non timuistis peccando recedere, & inimico eius diabolo adherere. Potest etiam cibus dicere, & potus, non meruistis, ut vos pascere debeamus, ab illo enim peccando recessistis, per quem nec ales esurit. Sol quoque non debet nobis ad salutem lucere; sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis, & fons luminum lucem penitus coercere. Sic etiam singula creatura contra nos irrefragabili ratione possunt insurgere.* Eundem humilitatis sensum ex memoria peccatorum insinuat August. l. de vera, & falsa penitentia cap. 13. ubi *omnes fructus, inquit, sua penitentia paruos habeat: nunquam credat sufficere: semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat.* Ambrosius etiam l. 2. de penitentia c. 8. docet ex hac memoria concipi confusionem ex proprijs delictis, & compassionem in alienis: ut quoties peccatum alicuius exponitur, compatiar, nec superbe increpem, sed lugeam, & desleam: ut dum alium fleo, me ipsum fleam, dicens iustificata est magis Thamar, quam ego. Bernardus quoque serm. de Cantico Ezechie explicans illud, *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: Non sum, inquit, dignus, ut valeam recogitare cum dulcedine: cogitabo me ipsum in amaritudine.* Confusus redeo ad familiares mihi tenebras vitæ meæ pristina, non in eis iterum

Chrysof.
Publicani,
& Pharisei
duplex biga.

SS. Penitentiæ humilitas.
Climacus.

LIV.
Francisci Borgia humilis de se existimatio.

Anselm.

Creaturæ universæ quomodo in peccatorem insurgant.

August.

Ambros.

Bernard.

64 *Tertium prædestinationis signum*

versando cum delectatione mortifera, sed puniendo, & recogitando in amaritudine anima mea. Memoria igitur peccatorum prædestinationis est signum, quia mentem ad humilitatem perducit, quæ est gradus ad gloriam.

Memoria peccatorum ad gratitudinem remissionis, *Seneca.*

Beneficij quædam solutio est ipsa confessio. *Chrysof.*

Pauli humilitas, & gratitudo. *1. Cor. 15.*

Chrysof.

LV. Gratitudinem memoriz, quam Deus beneficiis exigit.

Exod. 2. Deut. 16. Levit. 23. Paschafym bolum trāfitus è peccato ad gratiam. *Ambros.*

Electi annuatim memoriam suæ conversionis celebrant.

Quintò requiritur hæc memoria ad gratitudinem. Memoria enim peccati remissi involuit remissionem, quæ beneficium est maximum. Beneficio gratitudo debetur. Primus autem gratitudinis actus est beneficij agnitio, & memoria. Quippe ut ait Seneca epist. 83. *interdum beneficij solutio est ipsa confessio*, id est fateri te id accepisse. Non enim potest esse gratitudo de beneficio, vel incognito, vel oblivioni mandato. Quod animadvertens Chrysostomus hom. 2. in Ps. 50. *memor sis*, inquit, *peccatorum: ut gravior sit tibi misericordia, ut sentias, quid tibi concesserit. Si enim semper memor fueris cumuli peccatorum tuorum, eris memor magnitudinis beneficentia Dei.* Tales sunt electi, qui virtutum suarum non meminerunt, sed peccatorum suorum memoriam retinent. Exemplum habetur in Paulo 1. ad Corinth. 15. ubi *Ego sum*, inquit, *minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id, quod sum.* Mentionem facit peccati sui, ut ex illo amplificet gratiam Dei. Sicut pictor umbras coloribus intermiscet: ut inter umbras vivaciùs colores appareant. Quamobrem idem Chrysostomus hom. 18. in eadem Epistol. ad Cor. in eadem verba. *Sum minimus, &c. Non*, inquit, *simpliciter postremum se esse demonstrat; & apostolicis titulis indignum. Sed nequam fuerat eorum oblitus, gratia magnitudinem predicare volens. Unde subdit, gratia Dei sum id, quod sum.* Recordatio igitur peccatorum operabatur in Paulo agnitionem divinæ gratiæ, quæ illum fecerat ex persecutore doctorem. Ideo instituit Deus singulis annis apud Iudæos festum Paschatis in memoriam liberationis à servitute Ægyptiorum Exod. 12. Festum Pentecostes in memoriam acceptæ legis Deut. 16. Festum tabernaculorum, seu scenopogiæ in memoriã beneficiorum, quæ acceperant in deserto Levit. 23. Inter omnia tamen hæc festa, celeberrimum erat Pascha: quo celebrabatur memoria liberationis à tyrannide Pharaonis, in figuram liberationis, quo peccator per pœnitentiam liberatus est à tyrannide diaboli. Quod animadvertens Ambrosius l. 1. de Cain. c. 8. *Pascha*, inquit, *Domini quotannis celebrabatur, hoc est animarum transitus à vitijs ad virtutes, à passionibus carnis ad sobrietatem mentis, à fermento malitia, & nequitia ad regenerationis sinceritatem, & veritatem.* Hanc memoriam transitus à peccato ad gratiam electis pœnitentibus nõ solum præstat quotidiana recordatio peccatorum: sed annuatim ab his etiam hoc Pascha celebratur: cum eum diem, quo à statu diuturno gravioris peccati transitum quisque fecit, tanquam à servitute Ægyptiaca,

ptiaca, ad libertatem gratia, singulis annis speciali devotione recolunt, in gratiarum actionem effusi. Hanc grati animi memoriam Deus exigit in electis, ut per eam ad nova beneficia gradum faciant: dum per hanc, ut notat Bernardus serm. contr. vit. ingratit. *locum in nobis facimus gratia, ut maiora recipere mereamur.*

Bernard.
Beneficij
præteriti
memoria
gradum fa-
cit ad no-
va.

Sextò denique requiritur hæc memoria ad satisfactionem. Nam, cum peccatum sit injuria facta Deo, jus divinum læsum satisfactionem requirit. Et ideo superest post sacramentum pœnitentiæ satisfactio tanquam ejus pars quodammodo integralis, & peccatis debita. Quoniam verò per pœnitentiam à confessario injunctam non fit ut plurimum satisfactio plena, & omnimoda; (alioquin post pœnitentiam sacramentalem peractam nihil remaneret satisfaciendum neque in hac vita, neque in altera: & sic purgatorij ignis pœna esset inutilis, quod est falsum) ideo hoc potissimum curare solent electi, ut post peccatum Deo satisficiant in hac vita.

Memoria
dolorosa
peccatorum
ad recom-
pensandum
jus divinum.

Hæc autem satisfactio tria continet. Primum est iterata, & frequens detestatio peccati etiam remissi; ut, sicut quis nimis adhærendo objecto peccaminoso divinum jus læserat: ita idem detestando divinum jus refarciat. Quoniam verò hæc peccatorum detestatio, cum vehemens est, solet esse lachrymarum elicitiva: ideo prima conditio, quam continet satisfactio in electis, ad hoc ut post statum peccati prædestinationis sit signum, est peccati recordatio lachrymosa. Quippe, ut ait Augustinus hom. 27. inter. 50. *Sicut est testis pœnitentiæ dolor: ita doloris testis est lachryma.* Hæc quotidiana detestatio peccatorum cum lachrymis ita à SS. Patribus strictè præscribitur, ut sine illa in homine pœnitente post peccatum, vix ullum prædestinationis signum agnoscant. Hoc patet cum è dictis supra, tum ex testimoniis, quæ hic subjiciam: quoniam hæc veritas plurimum conducit ad ea, quæ dicturi sumus quæst. seq. de paucitate prædestinationum.

Pœnitentiæ
esse debet
lachrymosa.

Augustin.

Fundatur hoc præcipue in eo, quod dicitur Threnorum. 2. *Deduc quasi torrentem lachrymas: per diem, & noctem non des quietem tibi: nec taceat pupilla oculi tui.* Hoc ab unoquoque post peccatum præstandum esse passim docent Patres. S. Ephrem serm. de extr. jud. & compunct. ad hanc adhortans. *Compunctionem, inquit, dico non unius diei, sed quæ die, nocteque veluti fons intus in anima exuberat. Semper, & absque ulla intermissione plantas tuas lachrymis irriga frater: ut sis irrigata crescant, fructumque ferant de die in diem.* Idem sermon. de compunct. & salut. dicit lachrymas esse panem quotidianum animæ: sine quo nutriri non potest. *Lachryma, inquit, nutrimentum, ac vita sunt animæ: & panis, salusque eius existunt. Idcirco & David dicebat, fiant mihi lachryma mea panes die, ac nocte. O felicem animam, si quis lachrymis nutriretur!* Chrysostomus hom. 21. in Genes. *sicut faciem corporis tui quotidie abluis, ne qua forte*

LVI.
Lachryman-
dum quoti-
die pro
peccatis.
Thren. 2.
S. Ephrem.

Chrysof.

foeda macula faciei inherens appareat: sic, & anima curam habet, quotidie lachrymis eam abluens. Hac enim aqua macula deponuntur.
August. l. de vera, & falsa pœnitent. c. 13. semper, inquit, doleat: semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat: dolorem cum vita finiat. Et infra. Quid nobis restat nisi semper dolere in vita? ubi enim dolor finitur deficit & pœnitentia. Si autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? tamdiu enim gaudet, & sustentatur à gratia, quamdiu sustentatur à pœnitentia. Hinc semper doleat: & non sit satis quod doleat, sed ex fide doleat; & non semper doluisse doleat. Probat id ibidem exemplo Pauli, quem dicit peccata commissa in Iudaismo semper plorasse, etiam post susceptum baptismum. Si, inquit, Apostolus etiam peccata post baptismum remissa continuè plorat, nobis super fundamentum Apostolorum positus quid restat præter plorare?

August.

Defenda
peccata etiã
certò re-
missa.

Ex quo validum sumitur argumentum pro hac necessitate perpetua lachrymarum. Si enim peccata per baptismum certò, & omnimodè remissa, & quoad culpam, & quoad pœnã, adhuc dicit esse exemplo Apostoli perpetuò defendenda: quid faciendum in peccatis post baptismum, nec certò quoad culpam, nec totaliter dimissis quoad pœnã? Ideo idem August. serm. 12. ad fratres in Eremo. *Quotidie, inquit, fleas peccata, quæ commisisti. Et infra. Simus tantum proni ad fletum, quantum fuimus audaces ad culpam. Et sermon. 5. qui ponitur in Litan. securus de venia semper debet suspirare de culpa. Ambros. l. 2. de pœn. c. 5. Qui agit, inquit, pœnitentiam, diluere debet lachrymis peccatum suum, & mundare fletibus: ut audiat nos Dominus Deus noster ingemiscetes. Hieronymus epistol. ad Eustochium. Esto, inquit, cicada noctium. Per singulas noctes lava lectum tuum, & lachrymis stratum tuum riga. Gregorius par. 3. Pastor. admon. 30. scriptum est, inquit, potum dedit nobis lachrymas in mensura: ut uniuscuiusque mens tantum pœnitendo compunctionis sue lachrymas bibat; quantum se à Deo meminit amisisse per culpas. Admonendi sunt, ut admissa ante oculos incessanter reducant, &c. ut supra relatam est.*

Augustin.

Ambros.

LVII.
Pœnitens
cicada noctium.
Hieronym.
Gregor.Davidis
pœnitentia
lachrymosa.
Psal. 6.
S. Ephrem.

Ambros.

Hoc non modò apparet è dictis Sanctorum, sed etiam ex eorundem exemplis. Apparet hoc primò in Davide, qui post acceptam ore Prophetæ peccati veniam, singulis noctibus lavabat lectum suis lachrymis, memor se nocte, & in lecto peccasse. Ideo dicit Psal. 6. *lavabo per singulas noctes lectum meum: & stratum meum lachrymis meis rigabo. Quem locum expendens S. Ephrem. sermon. de compunct. una, inquit, nocte peccavit, & singulis noctibus flevit, & supra ibidem. David, inquit, noctes diesque transegit in lachrymis. Ille forma nobis est datus, & exemplum pœnitentia. Quare imitemur eum in lachrymis.* Ambrosius etiam l. de Apolog. David cap. 4.

peccavit, inquit, David, quod solent Reges: sed flevit, ingemuit, quod non solent Reges. Ex quo factum est, ut regius Davidis lectus multo iis in lachrymis esset ornatior, quam gemmis nitentes lecti Regum. Quamobrem Chrysostomus in c. 16. Lucae concione prima de Lazaro, En, inquit, ostendo tibi lectum Davidis, non argento, & auro, sed lachrymis, & confessione exornatum. Hoc ipse fatetur ita dicens, lachrymis meis stratum meum rigabo. Itaque erat ille lachrymis vice margaritarum distinctus.

Neque solum Davidis lachrymae illi veniam, atque ornamentum tulerunt: sed etiam, quod est omnium maximum, meruerunt, ut Christus ex ejus progenie nasceretur. Qui ex stirpe nasci voluit peccatoris, sed flentis, intuitu lachrymarum. Quamobrem Ambrosius l. 2. de penitentia cap. 8. Rex, inquit, erat David: & dicebat lavabo per singulas noctes lectum meum: & lachrymis meis stratum meum rigabo. Et ideo tantum gratiam meruit, ut virgo ex ejus familia nasceretur, qua nobis proprio partu Christum ederet. Ex hoc colligit Chrysostomus loco cit. quid facere debeant ij, qui per opera penitentiae certam satagunt facere vocationem, & electionem suam: nempe imitari Davidem: qui, cum omnes quietem, & somnum agerent, solus Deum interpellabat: & aderat sopori nescius oculus ploranti, lamentantique, suaque confitenti mala. Talem tu tibi quoque lectum parato. Idem hom. 2. in Ps. 50. Quando inquit, accubueris super stratum tuum, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiae: ac reminiscens peccatorum tuorum, effunde lachrymas: & ea in lecto positis delere poteris. Haec de penitentia Davidis lachrymosa. Qui, ut ait Ambrosius, ideo lapsus creditur in peccatum, ut nos doceret quomodo oporteat aboleri peccatum. Medicina enim non nisi a vulnere sumpsit exordium.

Apparet id secundò in Magdalena, quae penitentiam non egit sine lachrymis, dum lachrymis cepit rigare pedes ejus Lucae 7. Ob has penitentiae lachrymas Chrysostomus loco cit. Magdalenam exaequat martyribus, ubi Grandis, inquit, gloria martyrum. Meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontem lachrymarum profudit: & delevit peccata sua. Dicitur est autem de illa, dimissa sunt ei peccata multa, exemplo ejus qui, debebat denarios quingentos; quia persoluto modico argento lachrymarum (lachrymarum impensam appellat Chrysostomus hom. 3. de pen.) tot relaxationem obtinuit debitorum. Quamobrem S. Anthiochus hom. 107. de compunct. Meretrix, inquit, illa lachrymis unius horae praeservidis multorum remissionem retulit debitorum. Impetravit hanc lachrymis unius horae: sed non una hora flevit. Nam, postquam audivit à Christo, dimituntur tibi peccata tua, Lucae 7. eadem per totam vitam deflesse dicitur. Quod animadvertens Augustinus serm. 12. ad fratres

Magdalena post acceptam peccatorum remissionem perpetuò fleuit peccata.

August.

Ambros.

Christi pedes lachrymis ab uno quoque abluendi. Magdalena magistra penitentium.

Ambros.

Ambrosius.

Christus

ideo non

lavit pedes

suos cum

discipulis,

ut nos eos

lachrymis

lavemus.

Luc. 22.

Chrysost.

Petri penitentia

lachrymosa.

Petri lachrymis

primatus

Ecclesiæ

traditur.

Ambrosius.

Ambrosius.

Antiochus.

Luc. 22.

in eremo. *Quotidie, inquit, fleas peccata, quæ commisisti. Sic enim peccatrix illa Maria non solum in domo Simonis, sed etiam post adventum Sancti Spiritus hoc idem ardentè perfecit. Semper enim dolebat: semper in vita sua, quæ commiserat, flebat. Ad cujus exemplum omnes, qui sunt veraciter penitentes, adhortans etiam Ambrosius l. 2. de penit. c. 8. Absterge, inquit, lachrymis cicatrices tuas. (Quæ sunt vestigia peccati jam remissi, quasi vulneris jam obducti) sic peccatum mulier illa in Evangelio, foetoremque sui erroris absterfit. Sic culpam diluit, dum Iesu pedes lachrymis lavit. Utinam mihi pedum tuorum lutum Iesu reserves: quos, dum in me deambulas, inquinasti. Utinam sor-des pedum tuorum deterendas mihi offeras; quas ego actu meo tuis affixi gressibus. Sed unde aqua viva, qua pedes tuos lavare possim? si aquam non habeo, habeo lachrymas: quibus me ipse diluam, dum pedes tuos lavo. Solent Sancti viri obsequium, quod Magdalena præstitit pedibus Christi viventis, præstare pedibus Crucifixi, eos lachrymis detergendo. Magdalena enim, ut notat ibidem Ambrosius, omnibus, qui volunt veniam promereri, magisterium præstitit. Unde fit, ut reliqui omnes prædestinati post peccatum, ejusdem exemplum imitari debeant, tanquam Ducis prædestinatorum ex penitentibus. Ideo autem, ut notat idem S. Ambrosius l. 6. in Luc. cap. 7. cum lavit pedes Discipulorum, non lavit pedes suos Christus, ut lachrymis nos lavemus.*

Apparet idem tertio in penitentia Petri, qui post trinam negationem egressus foras flevit amarè. Luc. 22. quod expendens Chrysostomus hom. 2. Pl. 50. amarè, inquit, fudit lachrymas, & absterfit peccatum suum; ac recepit pristinam dignitatem. Addit idem Chrysostomus hom. de Zona, regimen totius Ecclesiæ, quod antea fuerat Petro promissum, traditum illi post penitentia lachrymas. *Planctus inquit, illi subsidium fuit. Ideo Evangelista non eum simpliciter, sed magno dolore flevisse testatur. Illarum lachrymarum quantum meritum fuerit, nullus verbo poterit explicare: sed rerum demonstrat eventus. Post lapsum enim illius negationis, cui nullum malum poterat comparari, priorè eum reddidit Ecclesiæ: & totius orbis sollicitudinem, curamque commisit. Idem testatur Ambrosius de penit. Petri serm. 46. Vide, inquit, quantum Petro stetus profuerit, antequam steret, lapsus est; postquam flevit, erectus est. Et, qui ante lachrymas prævaricator exitit, post lachrymas pastor assumptus est: & alios regendos accepit, qui prius se ipse non rexit. Quod confirmat quoque S. Antiochus hom. 107. de compunct. ubi dicit Petro creditas fuisse claves regni cælorum, in gratiam lachrymarum. Neque mirum, cum lachrymæ illæ partus fuerint oculorum Christi: dum conversus Dominus respexit Petrum: & egressus foras flevit amarè. Luc. 22. quod expendens Ambrosius l. de Apolog. David. c.*

65. Iesus, inquit, Petrum aspexit: & ille flevit. Negavit primò, & non flevit; negavit secundo, & non flevit: quia non respexerat eum Iesus. Negavit tertio: respexit Iesus, & statim flevit. Augustinus etiam tract. 66. in Ioannem. Petrus, inquit, mortuus est negando: & resurrexit plorando. Mortuus est, quia ipse presumpsit: resurrexit, quia ille respexit. Signum igitur divini intuitus prædestinantis ad veniam sunt lachrymæ pœnitentis. Neque hæc lachrymæ in Petro fuerunt horariæ: sed per totum vitæ tempus, ut traditur, singulis noctibus, cum galli cantum inaudiret, memor peccati, flexis genibus, erumpebat in fletum, gallicinio aliorum oculos ad vigiliam, Petri etiam ad lachrymas excitante. Fletus autem adeo assiduus in eo fuit, ut testetur Nicephorus l. 2. cap. 37. habuisse oculos quasi sanguine aspersos. Quod referens Baronius tomo 1. anno 69. fuit, inquit, oculis sanguineis, eò quod continuo plorasse dicitur. Sive quia lachrymæ ob falsedinem oculos inflammassent: sive quia ex vehementia doloris lachrymas etiam sanguineas effudisset. Hæc de lachrymosa pœnitentia Petri.

Apparet idem quartò in aliis sanctis viris. Nam ex his, quorum scimus lapsus, scimus etiam lachrymas. Quippe inter sanctos illos pœnitentes, de quibus Climacus loco cit. *alii pavimentum madefaciebant lacrymis: alij, quia lachrymarum imbrem non habebant*, (idest quia non habebant lachrymas in tanta copia) *se ipsos miserabiliter lamentabantur*. De Augustino refert Possidonius in ejus vita c. 30. & 31. etiam in morbo extremo peccata toties defleta flevisse: & Psalmos pœnitentiales cum lacrymis recitasse. S. Hieronymus in Hier. c. 9. *si totus, inquit, vertar in fletum: & non sint lachrymarum gutta, sed abundantia fluminis, non satis digne flevero*. Idem ita scribit de S. Paula in ejus epitaphio. *In ea fontes crederes lachrymarum. Ita leviora plangebatur peccata, ut eam gravissimorum criminum ream crederes. Cumque a nobis crebrò moneretur, ut parceret oculis, agebat longum risum perpeti compensandum esse fletu*. S. Olympia Ablatii præfecti nepos, ut refert Palladius in Causiaco, *erat in compunctione, & frequenti profluvio lachrymarum. Et potius licebat fontibus æstate fluenta deficere, quàm ejus oculis lachrymas*. De S. Arsenio narrat Ruffinus linteolum semper gestasse ad abtergendas lachrymas. Plura non desunt exempla in vitis Sanctis, præsertim pœnitentibus. Quare, ut in nobis hoc signum prædestinationis appareat, orare debemus cum August. 1. supp. p. 4. c. 2. *Da mihi Domine gratiam lachrymarum, sicut dedisti Patribus nostris, ut plangam me in tota vita mea, sicut ipsi planxerunt die, ac nocte*.

Apparet idem quintò, quia ipsemet Christus inter alia prædestinationis signa lachrymas assignavit. Matth. 5. *Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur*. Et Lucæ 6. *Beati, qui nunc fleitis; quia*

Lachrymæ Petri, parvus oculorū Christi.

August. Petrus mortuus negando resurrexit plorando.

LIX. Galli catus Petro lachrymas excitabat.

Petri oculi aspersi sanguine.

Nicephorus. Baronius.

SS. Pœnitentium lachrymæ.

Climacus.

Possidonius.

Lachrymæ Augustini.

Lachrymæ Hieronymi

Lachrymæ S. Paulæ.

Lachrymæ S. Olympiæ.

Palladius.

Lachrymæ Arsenii.

Ruffinus.

August.

LX.

Lachrymis promittitur beatitudo.

Matth. 5.

Luca 6.

S. Ephrem.

ridebitis. Signum igitur futuræ consolationis & risus, est præfens lachryma, & fletus. Quod de fletu propter peccata interpretatur S. Ephrem. serm. 3. de compunc. Adeo autem Christus Dominus nostras lachrymas necessarias esse duxit ad salutem, ut cum crucem gestaret ad Calvarium, pro omnibus crucifigendas, mulieres, quæ ipsum sequebantur, admonuerit, ut se ipsas, non ipsum flerent. *Nolite flere super me, sed super vos.* Luca 23. Quod adnotans Ambrosius l. 2. de pœnit. cap. 6. ipse, inquit, nos flere vult, ut possimus evadere sicut habes scriptum in Evangelio, nolite me flere; sed vos ipsas flere. Animadvertenda est circumstantia temporis. Quippe tunc à nobis exigit lachrymas, cum sanguinem fundebat pro nobis: perinde ac si diceret, non profuturum nobis Christi sanguinem, nisi jungatur cum nostris lachrymis. Ideo tunc dixit *vos ipsas flere.*

Apparet idem sextò ex dictis SS. de virtute, & efficacia lachrymarum ad obtinendum prædestinationis finem. Quippe eadem, quæ in ordine executionis ad effectum prædestinationis sunt media, comparata ad ordinem intentionis sunt prædestinationis effectus, ut ostensum est tom. 2. l. 3. q. 15. atque adeo prædestinationis sunt signa: cum effectus signum sit suæ causæ, ut supra notatum est.

Lachryma
Deum orat,
& exorat.

Psal. 6.

Thren. 2.

3.

Psal. 38.

Lachryma
vocalesChristus
oculis allo
quitur est
Petrum.

Luca 12.

Chrysof.

Ambros.

Petri la
chrymæ ta
citæ preces.

August.

Primò igitur lachryma Deum orat, & exorat. Ideo lachrymæ dicuntur vocales Ps. 6. *Exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Thren. 2. *Nec taceat pupilla oculi tui.* Threnorum 3. *Oculus meus afflictus est, nec tacuit.* Ps. 38. *Auribus percipe lachrymas meas.* Habent nempe loquaces oculi linguam suam. Idcirco Christus Petrum negantem oculo admonuit, quando *conversus Dominus respexit Petrum.* Luca 22. Quod animadvertens Chrysostomus hom. 10. de pœnit. *Christus, inquit, respiciens in Petrum vocem misit per intuitum. Non enim ore loquutus est, ne inter Iudæos proprium confunderet Discipulum: sed per oculum dimisit vocem, quasi diceret, Petre, quod dixi, factum est.* Petrus autem oculo admonenti oculo flente respondit: & egressus foras flevit amarè. Ideo Ambrosius serm. 46. de pœnit. *Petri lachryma, inquit, tacite quodammodo preces sunt. Veniam non postulant, & merentur: causam non dicunt, & misericordiam consequuntur. Vtiliores lachrymarum preces sunt, quàm sermonum.* Ideo Petrus mavult causam suam flere, quàm dicere: & quod voce negaverat, lachrymis confiteri. Hanc lachrymarum vocem agnoscens Augustinus l. medit. c. 36. ita Deum precabatur. *Da mihi irriguum lachrymarum fontem, ut ipsa lachryma prodant, ipsa loquantur, quantum te diligit anima mea.* Idem epist. 121. c. 10. *aliud, inquit, est sermo multus: aliud diuturnus affectus. Hoc autem negotium plus gemitibus, quàm sermonibus agitur: plus fletu, quàm assatu.* Chrysostomus etiam loquens de Annæ fletu,

Chrysof.

Sola, inquit, eius lachryma vocem emittebant omni buccina claviorem. Neque facultas ad suadendum deest his vocibus, cum lachrymæ apud Deum vice fungantur oratoris. Idcirco Ambrosius in Psal. 37. lachryma, inquit, solent legationem suscipere pro delictis. Climacus etiam gradu 7. mœstitia, inquit, & gemitus ad Deum clamant. Timoris autem lachrymæ legatione funguntur.

Quam verò sit efficax lachrymarum legatio, explicat idem Augustinus præferens lachrymarum efficaciam efficaciam orationis. Oratio, inquit, ungit Deum: lachryma pungit. Illa lenit: hæc cogit. Idem testatur S. Anthiocus serm. 107. de compunct. ubi die, inquit, ac nocte plorabimus in conspectu Dei nostri. Vbi enim lachryma, ibi Dei clementia est exorabilis. Probat id ex illo Iob 16. perveniat deprecationis mea ad Dominum: coram autem eo stillet oculus meus. Insuper exemplo utriusque Annæ. Nam prior oravit ad Dominum flens largiter. 1. Regum. 1. & ita Samuelem obtinuit. Altera item, inquit, Anna Ioachimi uxor flens in horto, cum petitionem suam offerret, promeruit accipere Virginem Mariam Dei, & Salvatoris nostri Matrem. Sicut igitur Christus filius fuit lachrymarum Davidis, ut supra diximus cum Ambrosio: ita Maria filia fuit lachrymarum Annæ: ut modò diximus ex Antiocho. Qui ibidem omnimodè, inquit, ante petitionem necesse est utaris præsidio lachrymarum. Coniunxit hæc Ezechias 4. Reg. 20. Cui dicitur, audi vi orationem tuam, & vidi lachrymam tuam: & ecce sanavi te. Fleverat Ezechias fletu magno, ut ibidem dicitur: & tamen Deus vidit lachrymam, & sanavit: quia vel una lachrymæ vocula satis erat ad impetrandum. Quod perpendens idem. S. Anthiocus homil. 107. de compunct. Ezechia, inquit, quod tantillum fudisset lachrymarum, accreverunt ad eius vitam anni quinque, & decem. Una lachryma efficax fuit ad impetrandos annos decem, & quinque. Nulla quippe lachryma repulsam patitur. Ideo eleganter Cyprianus serm. 6. de cena Domini. In huius, inquit, presentia sacramenti non supervacua poscunt lachrymæ veniam: nec unquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Quoties te in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum Sanctum non dubito adspirantem. Cum intueor flentem, sentio ignoscentem. Non minùs disertè. S. Ephrem sermon. 1. de compunct. O lachrymarum, inquit, vis quousque pertingis, qua nullis impedita retinaculis cælum penetras? ô lachrymarum potentia, quomodo in ictu oculi, quasi præpetibus sublata pennis, in cælum revehis, atque ascendis, & à Deo obtines postulata? eloquentissimè idem prosequitur Laurentius Justinianus lib. de ligno vitæ cap. 9. ubi, O lachryma, inquit, humilis, tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal iudicis non vereris: accusatoribus silentium imponis: non est, qui te ad Deum vetet accedere. Si sola intres, vacua non redibis. Quid

Ambros.
Climacus.
Lachrymæ
legationem
suscipiunt
apud Deū.
August.
Lachryma
magis effi-
cax, quam
oratio.
Anthioc.
Iob. 16.

1. Reg. 1.
LXI.
Maria filia
lachryma-
rum Annæ.
S. Anthioc.

4. Reg. 20.

Vna lachrymæ
vocula satis
est ad
impetrandum.
S. Anthioc.
Cyprian.
eucharistiæ
præsentia
efficaciam
majorem
confert lachrymis.
S. Ephrem.
Lachrymarum
potentia.

Laur. Iust.

Lachryma vincit invincibilem, ligat omnipotatem. *Augst.* *Chrysof.* Lachrymæ delent peccata, plura? vincis invincibilem, inclinas Filium Virginis, ligas Omnia potentem. Simile quid, & sublimius reperio apud Augustinum sermon. 11. ad fratres in eremo, ubi loquens de lachryma compunctionis, Tu, inquit, flagellum Dei es, per quod Deus mutatur. Tu stimulus, per quem Deus ad homines inclinatur. Tu ligamen, per quod fortiter Deus astringitur. Denique clarissime Chrysostomus serm. de Moysè, nemo, inquit, ad Deum aliquando flens accessit, qui non, quod postulavit, accepit. Signum igitur prædestinationis maximum, est donum lachrymarum, utpote efficax ad impetranda omnia media requisita ad hunc finem. Deveniendò autem sigillatim ad media in particulari.

Anton. Abbas. Secundò lachryma delet peccata. Plurima suppetunt ex Patribus testimonia; sed pauca ex iis deligam illustriora. Antonius Abbas, ut refertur in vitis Patrum tit. de jugi orat. Interrogatus quid faciendum esset pro peccatis, qui vult, inquit, liberari à peccatis, ab eis fletu, & planctu liberabitur.

Nazianz. Nazianz. or. 3. lachryma, inquit, peccati diluivium, & mundi sunt piamentum. Videtur alludere ad diluivium universale, quo terra contaminata peccatis, aquis diluta est. Quod respexit etiam Hieronymus epist. 46. dum dixit, vide quanta magnitudo sit fletuum, ut aquarum diluivio comparatur. *S. Ephrem.* in illud Psalm. 38. Auribus percipe lachrymas meas; ne sis leas. Novi enim, quod si lachrymarum mearum memor fueris, iniquitatum mearum non recordaberis: cum vel perexigua lachryma multa possit abolere delicta. *S. Maximus hom. 3. de pœnitent.* Petrus, inquit, lavit lachrymis delictum, quod pudor est confiteri. In omni igitur culpa ante flendum est, quàm precandum. *Chrysostomus serm. de Moysè, daleat,* inquit, peccator aliud se esse, quod fuerat. Lavet lachrymis, quod delictis infecit. Curet fletibus, quod peccando vexavit: gemitibus purget, quod contemnendo commisit.

Ambros. in Lucam, Petrus fleuit amarè, ut lachryma lavarent delictum. Tu similiter lachrymis culpam dilue. Non invenio quid Petrus dixeris, sed quod fleverit. *S. Laurentius Novar. Episcop. hom. 1. de pœnit.* Da mihi, inquit, oculo liquorem tuum: & dele peccatum meum. Irruant aqua tua: & obruant crimina. Hac loquere cum oculo tuo, qui te scandalizavit. Punge venam cordis tui pœnitentia stimulis: & de ipso corde educas aquam vivam in capite profluentem. Ferat caput tuum fontem remissionis, & fluvium indulgentiæ. Exinde gemini currant rivus, fleantque ambo oculi pariter sanitatis rorem, atque indulgentiæ pluviam.

S. Laurent. Novarien. Oculi flendo delent peccata cordis. Hanc lachrymarum vim ad delenda peccata variis similitudinibus illustant Patres. *S. Ephrem serm. de pœnit.* dicit per lachrymas sanari agritudinem. Accede, inquit, peccator: & pro medicamento offer lachrymas. Vult enim celestis medicus unumquemque suis sanari lachrymis.

Ephrem. Lachrymæ medicina vulnecrum.

lachrymis. Nullius est negotij curari lachrymis. Hoc enim medicamentum non strictius devincit; non exacerbat vulnus: sed brevi compendio sanat, & absque molestia. Bernardus tractu de modo vivendi cap. 10. dicit per lachrymas, quibus interdum oculi corporis excæcantur, illuminari cæcos. Compunctio, inquit, cordis sanitas est anima: quia tunc anima illuminatur, quando ad lachrymas compungitur. Augustinus tract. 66. in Ioan. dicit per lachrymas resuscitari mortuos. Petrus mortuus est negando, resurrexit plorando. Idem serm. 24. comm. Oportet, inquit, super animam criminis gladio interfectam totum pondus doloris effundi: si fortè possit lachrymarum fomentis, calore fidei suscitari. Chrysostomus etiam hom. 4. de pœnit. Cum, inquit, mortuus ager fuerit, si mundus defleat omnis, nequaquam eum excitabit: ita ut non resurrectionis, sed lachrymarum ille sit fletus. In anima verò non sic: sed si mortuam fleveris, sæpe numero mortuam excitabis.

Præterea dicuntur lachrymæ, dum à peccato liberant, alia mirabilia operari. Augustinus in Ps. 44. dicit per eas extingui incendia, *si ardet, inquit, conscientia delicti, lachrymis extingue flammam peccati.* In hoc autem est mirabile, quod guttæ aquæ insertæ in fornacem, ignem vehementius accendunt: lachrymarum verò vel una interdum gutta satis est ad extinguendum magnum incendium peccatorum. Ita ut, quemadmodum notat S. Ephrem serm. 3. de compunctione, *magnum delictorum chirographum modicis lachrymis deleatur: ignisque ardens ibi exiguo fletu extinguatur.* Chrysostomus etiam hom. 5. de pœnitentia, *Rogum, inquit, peccatorum extinguis non aquis multis, sed paucis cum lachrymis. Multus enim peccati ignis: & modica extinguit eum lachryma.*

Neque solum per lachrymas liberari dicimur à peccatorum incendio, sed etiam à naufragio: in iisdem lachrymis naufragante peccato, quæ nobis portus sunt post naufragium. Ideo Petrus Cællensis l. de panibus c. 12. *lachryma, inquit, vitiorum naufragium, portus est naufragantium.* Ibidem perpendit per lachrymas, quæ effectus sunt peccati, aboleri peccata. *De fonte, inquit, peccatorum exilivit vena omnium lachrymarum. Mirum in hoc Dei artificis ingenium, ut lachryma de pœnis erumpens peccatorum, absorberet omne peccatum.* Chrysostomus hom. 2. in Ps. 50. dicit peccata commissa, quæ secundum præsentem justitiam scripta erant in codice illo æterno divinæ reprobationis, per lachrymas aboleri, *In codice, inquit, scripta sunt peccata tua. Spongia peccatorum tuorum lachryma tua sunt; effunde lachrymas: & poteris delere peccata.* Quod intelligendum esse de quovis peccato quantumvis gravi dicit idem Chrysostomus hom. 10. de pœnitentia, ubi loquens de Petri lachrymis. *Non fuit, inquit, parvus reatus Dominum negasse, sed magnus, & fortis: eum tamen lachryma delevere.*

K

LXIII.
Lachrymæ
cæcitatem
oculis tri-
buunt, cor-
di adimur.
Augustin.
Lachrymæ
mortuos
resuscitat.
Chrysost.

Augustin.
Lachrymæ
extingunt
incendia
peccatorum.

Ephrem.
Magnum
chirogra-
phum mo-
dicis dele-
tur lachry-
mis.
Chrysost.
Lachrymæ
vitiorum
naufragium,
portus nau-
fragantium.

Chrysost.

Lachrymis efficitur, ut neque vulneris super sit cicatrix.

Lachrymæ efficiunt, ut peccatum factum, sit non factum.

LXIV.

Lachrymis deaurantur peccata. Gregor.

Insignis Chryostomi locus de efficacia lachrymarum.

Insignis Augustini locus de compunctione, & lachrymis.

LXV.

Lachryma vitalis navicula, per quam naufragus redit ad portum.

Ira autem delent peccatum, ut quemadmodum notat idem Chryostomus hom. 4. de pœnit. tanti vulneris neque cicatrix, neque cicatricis super sit indicium. Extinguit enim peccatum, atque id neque esse facit, neque fuisse. Certè divinam omnipotentiam effugit, ut peccatum, quod fuit, non fuerit: cum repugnet per quamcumque potentiam, quod factum, sit infectum. Hoc tamen tribuit Chryostomus omnipotentiae lachrymarum, quæ peccatum ita *extinguunt, ut id neque esse faciant, neque fuisse.* Quia scilicet ita perfectè per eas deletur, ac si nunquam fuisset.

Neque lachrymis solùm peccata deleri docent Patres; sed iis etiam quodammodo deaurari. Quod significare vult Gregorius l. 3. in 1. Reg. c. 6. per annos aureos, quos Philistæi Deo obtulerunt pro peccatis. *Ex auro, inquit, fieri ani similitudo cernitur: quia ad pretium aterna salutis electis peccatorum turpitudines atteruntur, vel fortasse fletibus deaurantur. Quia dum commissa attentius lugemus, in iustitia splendore membra deauramus.* Ita res turpissima peccatum, signum sit prædestinationis speciosissimum; dum *fletibus deauratur: lachrymarum argento in aurum veluti flavescere.* Ex hac incredibili vi lachrymarum in ordine ad delenda peccata, concluditur magnum in iis situm esse prædestinationis indicium. Cum habeant se tanquam removens prohibens; removendo id, quod prohibet prædestinationis finem à quo unice arceat peccatum. Ideo in hanc lachrymarum laudem copiosissimè effunduntur Chryostomus, & Augustinus. Ille serm. de pœnitent. ubi *lachryma, inquit, sunt, quæ radunt rudera, & sanant vulnera. Lachrymae sunt, quæ pœnitentiam armant, & indulgentiam provocant. Lachrymae sunt, quæ cælum pulsantes, crimina delent, & conscientiam degravant. Lachrymae sunt, quæ reconciliant Deo, à peccatis redimunt animam, & eius sanant languores. Lachryma sordentem anima vestem lavant: & dant illi remissionis candorem.* Augustinus ad fratres in eremo sermon. 11. *Monache, inquit, punge oculum mentis, ut lachryma prodeant compunctionis. O compunctio, sine qua adultis non valet baptismus; sine qua ad iudicium Domini corpus recipitur: sine qua infructuosa est omnis confessio: sine qua omnis satisfactio est inanis. O compunctio lachrymosa: ô lachryma mentem purgans, intentionem fecundans, confessionem irrigans, animam sanctificans. O felix lachryma, tu carnalem cogitationem extinguis; peccatorum morbos expellis: culpa virus evomis. O felix tabula, ô vitalis navicula, per quam naufragus redire potest ad portum. O aqua salutaris, per quam omne peccatum destruitur. O felix lavacrum pœnitentiae lachrymarum: quod toties valet ad purgandum quoties purgatione indiget cor humanum. Hac est herba cælestis illius fullonis, quæ vestes servorum suorum deturpata à sorde quotidie purgat. Hac est cæleste*

nirum, quod de rore divina gratia confectum, abstergit maculas peccatorum. Haec est lixiviva, qua interioris hominis caput abluatur. O lachryma, tu contra ruinas hominum suave solatium: quo passionis Christi es vicaria: contra peccatum ponens remedium, ut per te toties cogatur Christus mori, quoties labitur homo in abyssum peccati. Quibus extremis verbis significatur, per lachrymas ex vera contritione procedens applicari peccatori meritum passionis: quasi toties Christus funderet pro eo sanguinem, quoties penitens fundit lachrymas.

Lachryma Christi passionis vicaria.

Tertio lachrymae praedestinationis sunt signa, & simul media, quia iram divinam placant: & supplicia ejus avertunt irroganda etiam in hac vita. Patet hoc ex Ninivitis, quorum fletu commotus Deus sententiam commutavit. Quod non jejuniis, sed fletui adscripsit Ambrosius l. 2. de penit. c. 6. ubi, *flevit, inquit, Ninive populus: & denunciatum excidium civitatis evasit. Tanta enim est penitentia medicina, ut suam Deus videatur mutare sententiam.* Idem expendit Chrysostomus hom. de zona, ubi loquens de penitentia Ninivitarum, *ubique, inquit, saccus: ubique cinis: ubique gemitus.* Et ideo supra dixerat Deum ad penitentiam brevis temporis exoratum, multorum laxasse veniam peccatorum. In tribunalibus hujus saeculi non placatur reorum lachrymis ira iudicis. Sed ante tribunal Dei, ut notat Paschasius Ratbertus l. 3. In Hieremiam, *lachryma solummodo, & preces ad iudicem solantur reos: quod fufius prosequens Chrysostomus hom. 6. In Matth. in secularibus, inquit, judiciis quantumlibet post acceptam sententiam lamenteris, & lugeas, non effugies flendo supplicium. Hic vero, si toto corde ingemueris ad Deum, solvisi repente sententiam.* Quia, ut notat Terrullian. l. de penit. cap. 9. *haec, dum deprimat hominem, relevat: cum squallidum facit, mundaum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absoluit.* Quod totum lachrymis attribuit Chrysostomus serm. de penit. Vbi, *magnus, inquit, profectus est lachrymarum: ut plorando servus propitiatur dominum: filius lachrymis mitiget patrem: & asperam matrem plorans parvulus mulceat.* Ita ergo & peccator iram Dei profusis fletibus removet. Ideo S. Ephrem serm. de compunct. & salute, quando, inquit, *positi erunt throni, & iudicium sedebit, aperienturque libri, tunc lachrymarum mearum memineras; & lachrymas meas ne sileas. Quicumque enim lachrymas ad tribunal illud pramiserit, confidenter ad iudicium tuum accedet. Novi quantum apud te valeant lachrymae.* Signum ergo praedestinationis sunt, quia placant iram divinam, ex qua reprobatio.

Lachrymae iram divinam avertunt.

Ambros. Mutant immutabilem. Chrysost.

Paschasius Ratbert.

Chrysost. Lachrymae supremi iudicis avertunt sententiam.

LXVI.

Lachryma dum accurrat, excusat.

Tertull.

Chrysost.

S. Ephrem.

Quarto lachrymae tentationes propulsant. Ideo Chrysostomus hom. 12. in epist. ad Coloff. *Haec, inquit, lachrymae sagittas maligni ignitas extinguunt. Neque soluta tela ad versariorum obtendunt: sed*

Chrysost. Lachrymae tentationes

propulsant,
ad pugnam
armant.

T eodo u
somo 9. vete-
rum Patrū.
Lachryma
custodis
Angeli mu-
nere fungi-
tur.
Nissenus.
S. Ephrem.
Fulgent.

Lachrymæ
victoriam
adpromit-
tunt: trium-
phum exhi-
bent.

LXVII.
Lachrymæ
animā fœ-
cundant
virtutibus.
Basilus.
Lachrymarū
origo.
Lachrymæ
imber semi-
na irrigans,
flores pro-
ducens.

Lachryma
pœnitentiā
reddunt
fructuosam.

etiam hostes feriunt. Ideo habetur in vitis Patrum tit. de compunct. cum tentaris adversus eos, qui te impugnant, gladium lachrymarum ex acue. Demum totum dæmoniacum bellum extingunt. Idcirco Theodorus studites serm. cathec. cap. 41. *Demonum*, inquit, *extinguendo bello nihil tam prævalidum, quam contritio cordis, preces, ac lachryma.* Ideo lachryma quasi custodis Angeli contra dæmonum insultus munere fungitur. Quamobrem Nyssenus enar. de vit. Moyf. *Lachryma*, inquit, *fidelis quadam custos est eorum, qui veram quarunt virtutem, & ut addit S. Ephrem. serm. de jud. & compunct. lachryma fiduciam præbent: nec valent cogitationes sordida appropinquare anima compunctionem habenti.* Denique lachrymis victoria promittitur. Vi enim ait Fulgentius ad Probam de orat. & compunct. c. 5. *Tunc adversarium vincimus, cum lachrymis, & continua cordis humilitate pugnamus.* Neque lachrymæ victoriam solum pugnanti; sed etiam vincenti triumphum exhibent. Ideo idem Fulgentius, *lachryma, qua ex compunctione cordis nascuntur, & inimicum vincunt, & donum nobis lætitiæ triumphalis acquirunt: quasi novo Capitolio extracto, juxta hunc Tyberim lachrymarum.* Signa igitur etiam ex hoc capite sunt prædestinationis amplissima: quoniam, & victoriæ, & triumphi sunt signa lachrymæ triumphales.

Quintò lachrymæ prædestinationis sunt signa: quia animam fœcundant virtutibus, quæ ad finem prædestinationis sunt media. Docent enim Patres, ita lachrymis fœcundari animam, sicut imbribus agri, Quod melius intelligetur, si Physicam lachrymarum spectemus originem. Quippe, ut notat Basilus or. 4. de gratiar. act. *quemadmodum nubilus, & densus aër in aquarum aspergines: ita vaporum crassamentum in lachrymas soluitur.* Plin. etiam l. 11. cap. 37. *dicens prodire ex oculis fletus, & rigantes ora rivos; quis, inquit, ille humor est in dolore tam fœcundus?* Quod ad spirituales sensum trahens Chrysostomus hom. 4. ad pop. *Nonne, inquit, semina delatus imber germinare facit, & crescere: ut pietatis semen excitare, & vernare facit ex lachrymis delatus imber?* Idem hom. 2. de Anna, loquens de virtutibus, hæc, inquit, *longè redolentiores sunt vernis floribus: qua non aquarum fontibus, sed lachrymarum imbre rigantur.* Neque enim perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, ut plantam præcationis fontes lachrymarum rigantes faciunt in summam altitudinem adolefcere. Hæc lachrymarum irrigatio pœnitentiæ reddit fructuosam, quæ prædestinationis est signum. Ideo Augustinus l. 21. de civ. cap. 24. alludens ad ea verba, *qui seminant in lachrymis, &c. Ninivita, inquit, in hac vita egerunt pœnitentiæ fructuosam, velut in hoc agro seminantes, in que voluit Deus cum lachrymis seminari, quod postea cum lætitiâ meteresur.*

Fulgentius etiam de oratione ad Probam cap. 5. explicans illud Ps. 121. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. Quam benè, inquit, Propheta semina bonorum operum riganda docet flumine lachrymarum. Omnia enim semina non germinant, nisi fuerint irrigata: neque de semine procedit fructus, si fuerit aquarum iuvamine destitutus. Proinde nos quoque, si velimus fructus nostrorum seminum capere, non desinamus semina nostra lachrymis irrigare.* Ex his lachrymis germina, ac flores bonorum desideriorum, & fructus bonarum operationum existent. Nempe talis anima arbor illa est, de qua dicitur Ps. 1. *& erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo.* Ideo ad lachrymas adhortans Tertullian. l. de pœnit. cap. 4. *arbor, inquit, fias illa, quæ penes aquas feritur: quæ foliis perennat, & in tempore suo fructus agit: quæ non ignem, non securim videbit.* Nihil aptius dici poterat ad probandum has pœnitentiæ lachrymas prædestinationis esse signum, quàm per ea verba, *non ignem, non securim videbit.*

Quibus alluditur ad reprobos, de quibus Christus Matth. 7. *Arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sterilis autem arbor est cor reprobi ex inopia lachrymarum: ita ut possit dicere, *anima mea sicut terra sine aqua tibi* Ps. 142. Quod figuratum est in Anna Samuëlis matre: quæ sterilis fuit, donec *flens largiter votum vovit Domino* 1. Reg. 1. Idcirco, ut ait Chrysofostomus hom. 6. in Matth. *Sterilitatem ejus in fecunditatem Deus mutavit: & tanquam è duro saxo agrum fertilem reddidit.* Quod idem contingit in anima, quam è sterili fertilem reddit lachryma. Quamobrem Gregor. dialog. l. 3. cap. 34. *Qui, inquit, gratiam lachrymarum non habent, hi nimirum terram Australem, & arentem habent; & irrigua indigent: quia oportet, ut mala, quæ antea perperaverunt, deplorent.* Quod si terra proferens spinas, & tribulos reproba est, & maledicto proxima, ad Hebr. 6. anima fructus proferens, utpote lachrymis fecundata, prædestinationis signum obtinet: & benedictioni est proxima, de qua dicitur Matt. 25. *venite benedicti.*

Sextò lachrymæ gehennæ ignes extinguunt. Ideo Chrysofostomus hom. 6. in Matth. *Tales lachrymæ, quales erant Davidis, ipsum etiam gehenna incendium norunt extinguere.* Ephrem Syrus hom. 3. de compunct. *Largire mihi famulo tuo lachrymas, ut magnum illud delictorum meorum chirographum modicis lachrymis deleatur: ignisque ibi ardens exiguo fletu extinguatur.* Nam, si hic mea peccata deslevero, illic inextinguibilem ignem evadam. Idem serm. de pœnit. & patient. *Preparata, inquit, est gehenna ignis inextinguibilis, nisi flammam illam lachrymarum rore asperserimus: nisi per pœnitentiam gehenna incendium restinxerimus.* Petrus Cellensis l. de

LXVIII.
Iustus arbor
secus decur-
sus lachrymarum.
Psalm. 1.
Tertull.

Reprobi cor
in terra in-
quosa.
Matth. 7.
Psalm. 142.
Anna Sa-
muëlis ma-
ter ex la-
chrymis
fecundata.
1. Reg. 1.

Chrysof.
Gregorius.
Lachrymis
carètes ter-
ram irriguam
postulant.
Hebr. 6.
Matth. 25.

Lachryma
gehennæ
ignes extin-
guit.
Chrysof.
Ephrem.

Petrus Cel-
lensis.

LXIX.

Lachryma
materiam
subtrahit
igni infer-
nali.

Bernard.

Lachryma-
rum, & cõ-
punctionis
duo genera.

Gregor.

Irriguum
inferius, &
irriguum
superius
quid.

Bernard.

LXX.

Ridendum
nunquam,
fendum
semper.

Cornelius.

Fletus ge-
hennæ, fle-
tu repelli-
tur.

S. Ephrem.

Lachrymæ
Purgatorii
vices sup-
plent.

Chrysof.

S. Ephrem.

Chrysof.

LXXI.

Lachrymæ
lavachrum,
& purgatio
peccati.

Panibus c. 12. *lachryma portas refringit inferni: carbones ferrea fornacis extinguit.* Rationem reddit Bernardus serm. in illa verba Iob 5. *in sex tribulationibus liberabit te: quia lachryma delendo peccata, subtrahit igni gehennali materiam.* *Vtinam, inquit, daret capiti meo aquam, & oculis meis fontes lachrymarum. Fortè enim non reperiret ignis exurens, quod interim flens lachryma diluisset.* In hoc autem cernitur providentia Dei admirabilis, ut ignis gehennæ effugiatur lachrymis; quas ipsius gehennæ meditatio excitat. Duo enim lachrymarum, & compunctionis genera agnoscit Gregorius l. 9. dial. c. 34. Alterum ex amore cœlestium, alterum ex timore gehennæ: & de his exponit illud Iosue 15. *Deditque ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius.* Quia, inquit, duo sunt compunctionis genera. Irriguum quippe superius accipit anima, cum se in lachrymis cœlestis regni desiderio affligit. Irriguum verò inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia amoris compunctio dignitate præeminet, necesse fuit, ut prius irriguum superius, & postea irriguum inferius commemorari debuisset. Inter prædestinationis igitur signa est utrumque irriguum inferius, & superius: ut prius scilicet defleantur peccata ex timore gehennæ: & hoc est irriguum inferius: tum defleatur præsens exilium ex amore cœlestium; & hoc est irriguum superius. Sed humilis Bernardus permanere semper volebat in irriguo inferiori: dum firmum, inquit, est mihi propositum, nunquam ridendi, quousque audiam ex ore Dei illa verba, venite benedicti. Neque à fletu desistam, donec liber sim ab illa sententia, ite maledicti. Ita apud Cornelium in Threnos Hierem, c. 3. vers. 48. Sic fletus ex gehenna extinguit gehennam. Immo, si in ea perpetuus est fletus, & stridor dentium, fletus fletu repellitur: sed modico, & brevi fletu, ingens, & æternus. Ideo Ephrem serm. 1. de pœnit. Plange, inquit, hic modicum, ne ibi plangas in sæcula sæculorum.

Septimò lachrymæ Purgatorii suppleant vicem. Chrysostomus hom. 8. in Matth. Sicut, inquit, ex aqua, & spiritu: sic rursus, ex lachrymis, & confessione purgamur. Sicut igitur, cum quis in baptismo renascitur ex aqua, & spiritu, non solum culpa, sed etiam ipsa Purgatorii pœna remittitur: ita proportionaliter in confessione, & lachrymis: quæ habent vim maxime satisfactivam pro pœna.

In quo sensu dixit S. Ephrem serm. de compunctione, & salute, *vel per exigua lachryma multa posse aboleri peccata*, id est pœnam multis peccatis debitam. Clariùs idem Chrysostomus hom. 5. de pœn. in illa verba, *lavabo per singulas noctes lectum meum. Satis, inquit, fuerat dicere, lachrymis meis stratum meum rigabo: cur prævenit, lavabo: ut ostenderet lavachrum, & purgationem peccati esse lachrymas.* Quoniam verò Deus videri non potest nisi à mundis corde, ex

Matth. 5. hanc cordis munditiam præstant lachrymæ. Ideo Bernardus in Scala claustr. tit. de signis Spiritus Sancti, felices, inquit, lachryma, per quas macula interiores purgantur: per quas peccatorum incendia (id est debita peccatis) extinguuntur. Incendia autem peccatis debita sunt, vel gehennalia, vel Purgatoria. Præterea idem serm. de convers. ad Cleric. c. 19. Purgatur, inquit, lachrymis oculus antea caligans: & acuitur visus, ut intendere possit in serenissimi luminis claritatem. Quod igitur præstat post hanc vitam Purgatorius ignis, præstant lachrymæ in hac vita.

Matth. 5.
Bernard.

Octavo lachrymæ prædestinationis sunt signa, quia æquiparantur baptismo. Hoc sequitur ex modò dictis: & est communis sensus Patrum, ut notat Trid. sess. 14. c. 2. ubi dicit, ad remissionem plenam, & integram peccatorum per Sacramentum penitentiae sine magnis nostris fletibus, & laboribus pervenire nequaquam posse. Et merito penitentia baptismus quidam laboriosus à Sanctis Patribus dictus fuerit. Cyprianus, aut alius auctor hom. de ablut. pedum. Magdalena, inquit, usa capillis pro linteo, oculis pro baptismo. Quasi Magdalena Christum lachrymis baptizasset, æmulata Baptistam: sed baptismo nobiliore, quàm eo, quo Dominum baptizavit Ioannes. Præterea Chrysostomus hom. 6. in Marc. loquens ex persona Davidis, lachrymæ, inquit, meæ fuerunt pro baptismo. Idem homil. 10. de penit. Petrus, inquit, flevit amarè, secundum baptismum per lachrymas ex oculis ostendens. Hieronymus adversus Pelag. Penitentia gratiam baptismatis imitatur. Climacus grad. 1. Penitentia est revocatio baptismatis. Chrysológus serm. 107. lachryma peccata baptizant. S. Leo serm. 9. de passione, loquens de Petri lachrymis, Felices, Apostole, lachryma tua: qua ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. Bernard. sermon. 1. oct. Pasch. Est, inquit, baptismus aliquis in compunctione cordis, & assiduitate lachrymarum. Et infra. Baptismi sacramentum quoniam iterare non licet; his, qui sæpe in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Addit Climacus gradu 7. lachrymarum baptismum esse majorem, ac potentiorum. Maior, inquit, ac potentior baptismate baptismum (etsi audax dictu id videatur) fons est lachrymarum. Illud præcedentia delicta purgavit: istud verò posteriora. Illud omnes ab infantia acceptum inquinavit: per hoc autem, & illud purgamus.

Trident.
Lachrymæ æquiparantur baptismo.

Cyprian.
LXXI.
Magdalena Christum lachrymis baptizavit æmulata Baptistam.
Chrysof.
Climacus.
S. Leo.

Bernard.

LXXIII.
Lachrymæ baptismus potentior.
Climacus.

Nonò lachrymæ prædestinationis sunt signa; quia æquiparantur martyrio: & sic æquivalent non solum baptismum fluminis, sed etiam baptismum sanguinis. Expresse Chrysostomus serm. in Ps. 50. Dicam tibi quid valeant lachrymæ. Quid martyribus manus qui animam suam ponunt pro amico suo? Grandis gloria martyrum: martyres effundunt sanguinem: peccatores effundunt lachrymas. Ipsimet mar-

Lachrymæ æquiparantur martyrio.
Chrysof.

Martyres
acquiescunt
palmam per
lachrymas.
August.
Basilium.

Nyssenius.

Lachrymæ
sanguis ani-
mi.
Cyprian.

Lachryma-
rum fons
in corde.
S. Laurent.
Novarian.

LXXIV.

Christi vul-
nus in late-
re aquam in
lachryma-
rum fontē
profudit.
Ioan. 19.
Cyprian.

Nyssenius.

Oculi sedes
animi.
Plinius.

LXXV.

Amor dul-
cis tyran-
nus.
Nazianz.
August.

tyres, dum effundebant sanguinem, Deo placuerunt propter lachrymas. Ideo August. serm. 45. de Sanctis Martyribus, inquit, dici potest, quia cum lachrymis seminaverunt. Vt eorum lachrymas consolaretur Christus, eos in se transfudit. Non desunt huic lachrymarum martyrio animi vulnera. Quippe, ut notat Basil. hom. 4. de grat. act. Lachryma exoriri solent ex impetu quodam, ac si vulnere percelleretur anima. Huic vulnere dolor, & sanguis non deest suus. Quamobrem Nyssenius or. funebr. de Placilla, Dolor, inquit, in corde delitescens per stetus, ac lamentationes exprimitur: ac vulnere animi tanquam sanguis sunt lachryma. Hunc sanguinem comitatur mors, & occisio. Nam, ut ait, Cyprianus, aut alius auctor hom. de ablut. pedum. Magdalena macerata intrinsecus anima, proprium in Sancta sanguinem intulit. Cor contritum erupit in lachrymas. Neque id immerito, quia lachrymarum fontem in corde constituunt medici. Ad quod alludens S. Laurentius Novar. Episc. hom. 1. cit. de pœnit. pungit, inquit, venam cordis tui pœnitentiæ stimulis: & de ipso corde educes aquam vivam, è capite profluentem, & ut habetur in vitis Patrum l. 5. bello 3. de compunct. homo pungens cor suum producit lachrymas: & celerius Dei misericordiam provocat. Lachryma igitur quidam sanguis est, ut modò diximus cum Nysseno: sed sanguis cordis est; & sic purior, ac delicatior, & vulnerato per dolorem corde, sanguis hic per oculos effluit. Fortasse totum hunc lachrymarum fontem prope cor delitescens Christus effudit, cum aperto lancea latere exivit sanguis, & aqua. Ioan. 19. Quod indicat Cyprianus serm. de passione prope finem, ubi De latere, inquit, tuo fons egreditur in vitam aeternam profluens. Et infra. Ex hoc fonte compunctionis, & lachrymarum perennes effluunt rivi. Quasi omnes nostræ lachrymæ, rivi sint deducti ex illo lachrymarum fonte, qui ex Christi latere profluit. Per martyrium igitur pœnitentiæ, lachryma effunditur, quæ sanguis est cordis. Immo, ut dictum est ex Nysseno, tanquam sanguis est animi: dum martyres effundunt sanguinem corporis. Funditur autem sanguis animi per oculos: quia, ut notat Plinius l. 11. cap. 37. maxime in oculis inhabitat animus. Cum nulla ex parte maiora animi indicia cunctis animalibus: sed homini maxime, clementia, misericordia, odij, amoris, tristitia, letitia. In hoc igitur compunctionis martyrio dolor, vulnus, & sanguis animi præfertur quodammodò dolori, vulnere, & sanguini corporis. Præterea nobilitas martyrij mensurari etiam solet à nobilitate tyranni. In hoc autem lachrymarum martyrio tyrannus est Dei amor, quem offensum dolemus. Ideo amorem dulcem tyrannum appellat Nazianz. or. 28. Carnifex autem animam crucians est Dei sanctus timor. Ideo Augustin. hom. 50. de util. pœnit. Adsit, inquit, carnifex timor: inde animæ confitentis sanguis profluant lachrymæ.

Decimò

Decimo lachrymæ prædestinationis signa sunt, quia gaudium Angelis patiunt. Ita Lucæ 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quod expendens Bernard. serm. 30. in Cant. Appellat lachrymas *vinum Angelorum.* *Gaudent, inquit, Angeli in conversione, & pœnitentia peccatorum salutem hominum scientes. Lachryma pœnitentium, vinum eorum sunt: quod in illis vita sit odor, sapor gratia, indulgentia gustus, reconciliatio- nis jucunditas, sanitas redeuntis innocentia, serenata suavitas conscientia.* Idem serm. 68. in cant. Lachrymas appellat Angelorum delicias. *Gaudent, inquit, Angeli ad pœnitentiam peccatoris. Quod si delicia Angelorum lachryma mea, quid delicia?* Neque mirum, quod lachrymæ pœnitentium, sint Angelorum deliciæ: quando sunt deliciæ ipsiusmet Dei. Ideo dicitur Hierem. 31. ex persona Ephraim, *postquam convertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussisti femur meum.* Dicit autem mox de eo Deus. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: sive ex Hebræo, ipse mihi puer est deliciarum.* In quem locum Cornelius, *Vide, inquit, quid faciat pœnitentia, ut peccatores antea Deo exosi, postea ipsi sint in delitijs.* Hoc autem potissimum efficiunt lachrymæ. Ideo dicitur Eccl. 35. de lachrymis. *A maxilla ascendunt usque ad calum; & Dominus exauditor delectabitur in illis.* Ideo Anthiochus serm. 107. de compunctione, *Ante precationem, inquit, utere præsidio lachrymarum. Ipse enim Dominus noster summopere gaudet, dum orationem excipit, quàm lachryma comitantur.* Quia, ut ibidem addit, *rorulenta aspergines lachrymarum, ut dulcor mellis sunt cordi, ut suave fragrans thymiama sunt Deo.* Hoc autem præcipuè verificatur de lachrymis ortis ex pœnitentia. Ideo dicitur Lucæ 15. *Gaudium erit in calo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis.* Quod expendens Chrysostomus serm. de Moyse, *Plus, inquit, Deus minus pœnitentia commovetur: quàm justorum merito delectatur.* Ideo hæ compunctionis lachrymæ Deum ipsum ad nos quasi pertrahunt. Quamobrem S. Ephrem sermon. de extr. jud. & compunct. *Compunctio, inquit, Spiritum Sanctum ad se invitat, ac pertrahit.* Immo, dum hæ lachrymæ videntur ad terram defluere, invisibiliter ascendunt ad cælum: & perpetuè in conspectu Dei asseruantur, juxta illud Psal. 55. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Quod explicans Augustinus serm. 6. de Nativ. Domini. *Non cadit, inquit, ad terram lachryma nostra: quia verax est ille; qui dixit, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Idcirco Chrysostomus hom. 30. in Genes. docet lachrymas in conspectu Dei, & Angelorum apparere ut formosissimas margaritas. *Quidnam, inquit, oculis illis formosius perpetuo lachrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis?* Idcirco Magdalena, dum coram

Lucæ 15.
Bernard.
Lachrymæ
gaudium
Angelis pa-
riunt.
Lachrymæ
pœnitentiū
vinum An-
gelorum.
Lachrymæ
deliciæ An-
gelorum.

Lachrymæ
Deo sunt in
delitijs.
Cornel.

Eccl. 35.

Anthioch.

Lachrymæ
mel cordi,
thymiama
Deo.

Lucæ 15.
Chrysost.
S. Ephrem.
Lachrymæ
Deum ad
nos trahūt.
Lachrymæ
dum in ter-
ram cadūt,
ad cælum
advolant.

Psal. 55.
August.
Chrysost.
Lachrymæ
in conspe-
ctu Dei
margaritæ.

Christo fudit lachrymas, margaritas, quibus antea turpiter capillos ornaverat, formosius in oculis collocavit. quamobrem Basiliius hom. de lib. arb. tomo 1. Græcol. appellat *pretiosas Magdalena lachrymas instar Margaritarum è beatis illis oculis profluentes*. Ut mirum non sit sponse oculos commendari, ac laudari ex lachrymis, Cant. 7. *Oculi tui sicut piscina in Hesebon*, in quem locum Honorius, *Hesebon dicitur cingulum mœroris: & significatur Ecclesia, in qua est mœror pœnitentia*, Clarius Ambrosius in Ps. 118. serm. 6. *Oculi tui sicut stagna in Hesebon. Oculus iste prævidet, quæ futura sunt: & Deum fetu, ac lachrymis emollire non desinit*. Lacrymæ igitur, per quas oculi pœnitentium ornantur, sunt in divino conspectu decoræ, gaudiumque Angelis, ac Deo afferunt. Contra horribiles sunt dæmonibus, quibus inferunt terrorem, ac pœnam. Ideo Petrus Celsensis lib. de pan. c. 12. *Satan*, inquit, *tolerabilius sustinet flammam suam, quàm lachrymam nostram: acriusque contriti cordis lachryma, quàm flammæ infernalis torquetur incendio*. Ratio est in promptu; quia, sicut super uno peccatore pœnitentiam agente, gaudium est in cælo; ita mœror in inferno.

Undecimò sunt lachrymæ prædestinationis signa, quia sunt Paradisus animæ in hac vita S. Ephrem or. de extrem. judic. & compunct. *Certò, inquit, scitote, fratres non fore in terra quid dulcius gratia lachrymarum. Si quis vestrum expertus lachrymarum dulcedinem, mediante oratione, desideraverit elevari è terris, totus hic extra corpus in calum fertur: nec amplius eius conversatio invenitur in terris*. Chrysostomus præfert lachrymarum delicias terrestri Paradiso. Nam hom. 12. in epist. ad Coloss. *quemnam, inquit, fontem vis comparare cum lachrymis? enimne, qui est in Paradiso, & irrigat universam terram? sed nihil dicis equale*. Rationem addit idem hom. 6. in Matth. quia, *sicut post vehementes imbres mundus aër, & purus efficitur: ita etiam lachrymarum pluvias sequitur tranquillitas, ac serenitas*. Hinc efficitur ut anima frui videatur deliciis cujusdam terrestris Paradisi. Idem in loco cit. ad Coloss. præferre videtur lachrymas etiam Paradiso cælesti. *Viderunt, inquit, illi oculi (Pauli) Paradisum: viderunt tertium calum. Sed eos non tam censeo propter hoc spectaculum beatos, quàm propter lachrymas, per quas Christum viderunt*. Hæc de Paradiso, quem lachrymæ exhibent in hac vita prædestinationis pignus amplissimum.

Duodecimò ducunt, & introducunt ad gloriam: & sic media sunt proxima ad prædestinationis finem, Psal. 125. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent*. Ad quod alludens Basiliius or. 4. de gratiarum act. *Lachrymæ, inquit, semen quoddam sunt, & fœnus: quibus æternum gaudium cummulatur, & crescit*. Sicut enim semen acceptum ex uno grano frumeti reddit centum grana cum fœnore:

LXXVI.
Oculi spõ-
sa, laudan-
tur ex la-
chrymis.
Honorius.
Ambrosius.

Lachrymæ
pœnitentis
incendium
Satanæ.
Petr. Cell.

Lachryma-
ram dulce-
do.

S. Ephrem.
Lachrymæ
præferun-
tur terrestri
Paradiso.
Chrysost.

Pauli oculi
beati ex la-
chrymis.
Lachrymæ
ducunt, &
introducunt
ad gloriã.

Psal. 125.
LXXVII.
Lachryma
semen glo-
riæ.
Basiliius.

ita una lachryma reddit centum gaudia cum fœnore. Et sicut in femine spes est messis; ita in lachryma spes est gloriæ: adeo ut illa dici possit Paradisus in semine. Et ideo appellatur à Basilio *semen aeterni gaudij*, ut dictum est. Idem alia similitudine illustrent Patres, appellando lachrymas alas animæ, quibus ad cælum evehitur. S. Ephrem. serm. 3. de compunctiōe, *O lachrymarum*, inquit, *potentia: quæ, quasi præpetibus sublata pennis, in cælum revehis, atque ascendis.* Idem serm. de compunctiōe, & salute. *O lachrymarum*, inquit, *virtutem: quæ ab inferis ad cælos usque reducis desiderantes te.* Chrysostr. l. 2. de compunct. *Compunctio*, inquit, *anima alas innectit: & volare facit ad cælum.* Neque hoc solum: sed etiam, cum animam ad cælum usque subvexit, illi cælum aperit. Ideo Chrysostr. hom. 3. de penit. *Penitentiā*, inquit, *est lachrymarum impensa. Ipsa cælum aperit, & in paradysum ducit.* Laurentius Iustinianus l. de ligno vitæ cap. 9. *O lachryma*, inquit, *tua est potentia: tuum est regnum: tu cælum aperis.* Vnde fit, ut dici possit regni cælorum non aliam esse clavem, quàm argenteam lachrymarum. Ideo Hugo Cardinalis in ea verba Apocal. 3. *Qui habet clavem David, &c. Ecce dedi coram te ostium apertum, &c.* dicit hanc cæli clavem, esse penitentiā. *Qui vult*, inquit, *sine clave penitentiā intrare in regnum cælorum, fur est, & latro.* Neque mirum, quod penitentiæ lachrymis datæ sint claves regni cælorum, sicut & Petro: quando *lachrymarum Passiōis Christi vicariā* appellat Augustin. serm. 11. ad Fr. in Eremo: & *Petro creditas esse claves regni cælorum in gratiam lachrymarum* affirmat. S. Antiochus hom. 107. de compunct. Quod autem aditus ad regnum cælorum præcipuè pateat per lachrymas, colligere licet ex ipsismet portis, quas vidit Ioannes Apoc. 21. ubi *duodecim*, inquit, *porta duodecim margaritæ sunt per singulas: & singula porta erant ex singulis margaritis.* Per margaritas lachrymas significari vult Chrysostr. hom. 30. in Genes. ubi dicit *oculos esse lachrymarum imbre, quasi margaritarum decore ornatos: & hom. 22. ad populum.* Vbi, *respice*, inquit, *letum Davidis: in quo tanquam margaritæ per singulas noctes Prophe- tiæ lachryma congelabantur.* Quod faciliè intelligitur ex ipso partu margaritarum nascentium ex rore cælesti: qui conchæ sinu receptus concrevit in gemmam. Ideo docet Plinius l. 9. c. 35. *partum concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti.* Lachrymas autem ex divina inspiratione conceptas, ut cæli rorem agnoscit S. Ephrem serm. de penit. & Pat. & S. Antiochus hom. 107. de compunct. ubi appellat *lachrymarum aspergines rorulentas.* Quamobrem mirum non est appellari à Chrysostr. margaritas: cum ros hic in pupilla, veluti in parva quâdam concha receptus, penitentiæ rigore con- cretus, gelascere videatur in gemmam. Non vacat igitur mysterio,

Lachryma Paradisus in semine.

S. Ephrem. Lachrymarum alas, quibus ad cælum ascenditur.

Chrysostr.

Lachryma clavis argentea Paradisi. Hug. Card. Apocal. 3.

Portæ Paradisi cur margaritæ. August. S. Antioch.

Apocal. 21. Margaritæ lachrymarum symbola. Chrysostr.

Margaritarum partus ex rore. Plinius. S. Ephrem. Antiochus. Lachrymarum gelascunt in gemmas. Chrysostr.

Lachrymæ
cælum ape-
riunt, ut
claves: ad
gloriam
introducunt
ut portæ.
4. Reg. 20.
Laur. Iust.

quod non alias regnum cælorum portas habere dicatur, quàm margaritas: cum *duodecim portæ sint duodecim margaritæ*: quia non aliunde patet ad gloriam aditus, quàm per lachrymas. Vnde colligitur potissimum prædestinationis signum esse lachrymas: quas qui habet, simul & claves habet, & portas regni cælorum. Ideo supra dictum est cum Chrysostomo hom. 3. de pœnit. *Lachrymas cælum aperire*; quia sunt claves: & *in paradysum ducere*; quia sunt portæ, per quas ad cælestem illam Hierosolyman ducimur. Signanter autem dicuntur esse *singula portæ ex singulis margaritis*: quia vel una contriti cordis lachryma satis est ad introducendum ad gloriam. Et ideo dictum est regi Ezechia 4. Reg. 20. *vidi lachrymam tuam, & ecce sanavi te*. Et Lauren. Iustinian. loco cit. *O lachryma, inquit, tua est potentia: tuum est regnum*.

Apocal. 7.
Oculi non
nisi aspersi
lachrymis
Deum videbunt.

Apocal. 21.

Lachrymæ
divino affi-
stunt thro-
no.
S. Ephrem.
Bernard.
Lachrymas
Dei manus
abstergit.

Tertull.

S. Ephrem.
Lachryma
aut invenit,
aut efficit
Paradysum.

LXXVIII.
Prædestina-
tionis signa

Denique sine lachrymis intrari non posse in regnum cælorum, apertè colligitur ex Apocal. 7. ubi cum loqueretur Ioannes de omnibus prædestinatis, & dixisset se *vidisse urbem magnam ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu Agni*, subdit infra, *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*. Et rursus Apocal. 21. cum de prædestinatis dixisset, *ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*; statim subdit, *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*. Supponit igitur non aliorum oculos Dei visione fore beatos, quam eos, qui turgent lachrymis: lachrymas autem ipsas introducendas in cælum usque ad thronum Dei. Ideo S. Ephrem serm. de compunct. & salute, *o virtutem*, inquit, *lachrymarum. Tu siquidem divino assistis throno cum gaudio*. Colligitur hinc etiam tanti pretii lachrymas esse in conspectu Dei, ut ipsemet eas, ne in terram decidant, suarum manuum quasi linteolo excipiat, *absterget Deus, &c.* Ideo Bernard. in declam. *Felices, inquit, lachryma, quas benigna manus conditoris absterget: Beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt*. Colligi etiam ex hoc videtur tantum esse in prædestinatis desiderium lachrymarum, ut vel in ipsa beatitudine lachrymas in promptu haberent, nisi Deus eas ex oculis abstergendo vetaret. Quod innuit Tertullianus de resurrect. carnis c. 58. ubi *delebit inquit, Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: nempe ex iisdem oculis, qui prius fleverant; quique adhuc flere potuissent, si non omnem lachryma nubem indulgentia divina siccaret*. Denique affirmat S. Ephrem loco cit. *peccatores effici beatos per lachrymas: & ut concludam cum Lauren. Iustinian. l. de ligno vitæ cit. aqua hæc (lachrymarum) aut invenit, aut efficit Paradysum*.

Ex his planè convincitur, pœnitentiam lachrymosam signum esse prædestinationis potissimum. Nam cum è statu conservatæ perpetuè baptismalis innocentia prædestinentur per pauci (qui ipsi neque de

hoc possunt esse certi: cum irrepere latenter potuerint peccata oc-
cultata, juxta illud Ps. 18. *ab occultis meis munda me.*) Superest ut po-
tissima prædestinationis indicia reponi debeant in penitentia: quam
passim docent Patres debere esse cum perpetuo peccatorum fletu
conjunctam, ut ostensum est. Neque verò quis facile potest oppo-
nere, sibi lachrymas in promptu non esse. Hoc enim ipsum conquere-
ritur Ambrosius serm. 7. in Ps. 118. quod cui fuerunt in promptu pec-
cata lachrymabilia, non sint in promptu lachrymæ. *Nescit, inquit,
fletu, qui flenda commisit: & cum sit ipse lachrymabilis, non habet pœ-
na lachrymas sua.* Ideo, ut infert Bernardus serm. de fallacia præsen-
tis vitæ, *humanum cor lachrymas nesciens, non modò durum, sed & im-
purum esse necesse est.* Hoc convincit August. l. de penit. ex lachry-
mis, quæ fundi solent ob mala temporalia. *Sciat, inquit, se culpabi-
liter durum, qui deslet mortem amici, vel damna rei temporalis: & do-
lorem peccati non ostendit in lachrymis. Non est ergo, ut quis se excu-
set, non habere fontem lachrymarum, qui dolorem temporalem ostendit
lachrymis.* Hoc ipsum lachrymarum donum, ut magnum prædesti-
nationis signum à Deo enixè postulandum est precatione illa, quam
adhibet idem Augustinus l. supput. par. 4. c. 2. ubi, *Da mihi, Domine,*
inquit, irriguum superius, & irriguum inferius: ut sint mihi lachrymae
mea panes die, ac nocte. Interim, qui ad peccata sua deslenda, non
sine reprobationis indicio, experitur se durum, hoc ipsum deslere
conetur, quod non flet: & ut monet Climacus gradu 8. *Si non lu-
get, propter hos lugeat.*

potissimum
ex penitē-
tia.

Peccator
lachryma-
bilis non
habet la-
chrymas.

August.

Peccator, si
non lugeat
propter hos
lugeat.

Climacus.
Penitentia
debet esse
punitiva.

Secunda conditio, quam requirit hæc satisfactio pro peccatis, ad
hoc ut prædestinationis sit signum, est ut sit punitiva peccati. Ratio
à priori est, quia per peccatum quis adhærescit creaturæ delectabi-
liter. Ergo per penitentiam debet recedere ab illa pœnaliter. Alio-
quin penitentiam non agit: cujus nomen ipsum sonat pœnam.
Pœnitentia autem est medium necessarium ad finem prædestinatio-
nis. Et ideo dicitur Matth. 3. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim*
regnum celorum. Hanc rationem insinuat Augustinus serm. 4. inter
commun. ubi, *est, inquit, penitentia medicamentum vulneris, spes sa-
lutis, per quam Deus ad miserendum provocatur.* (Ecce prædestinatio-
nis signum, & medium) *sed penitentia à pœna nomen accepit: quia*
anima cruciatur, & caro mortificatur.

Matth. 3.

August.

LXXIX.

Penitentia
nomen à
pœna.

Dividit Augustinus pœnalia penitentia in duo: in pœnam ani-
mæ, & in pœnam carnis. Pœna animæ, consistit in mœre quodam:
qui permanenter, & habitualiter debet perpetuò, post peccatum, co-
mitari animam prædestinati. Ideo idem Augustinus ante lachrymas
corporis requirit fletum cordis. *Dic, inquit, illi in fletu cordis. Aspice*
infelicem pietas immensa: respice crudelem misericordia publica:
dele numerositatem criminum multitudo misericordiarum. Hic mœ-

August.

Fletus cor-
dis præce-
dat lachry-
mas corpo-
ris.

ror perpetuus ex peccatis commissis magnum est prædestinationis indicium : cum apparuerit fere semper in iis, quos scimus prædestinatos, ex pœnitentibus. Quorum Princeps David, ut notat Chryso-
Chrysof. *Davidis* *mœror post peccatum.* *Chrysofomus l. 2. de compunct. cordis, post peccatum ita erat in solio regali, tanquam esset vinctus in carcere. lacebat in purpura, quasi in cilicio, cinere conspersus, & corde compunctus. Aula regalis erat ei tanquam eremi vastissima solitudo. Hac omnia agebat in eo cordis compunctio, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, risum effugere.* Non poterat melius forma præscribi prædestinatorum ex pœnitentibus : in quibus talis dolor remanet de peccatis commissis, ut dicere aliqui ex iis soleant, nullum sibi superesse de omni alio infortunio dolendi locum, quando totum dolorem sibi absorbent peccata.

Pœnitentiæ veræ signū, mortificatio in vestibus.
Iona 3. Alterum, in quo constituit Augustinus pœnitentiam peccati, est pœna corporis : cum dicat *per pœnitentiam animam cruciari, & carnem mortificari*, ut supra relatum est. Hoc ostendit pœnitentia Nivitarum : qui *vestiti sunt sacco à majori usque ad minorem.* Iona 3. Quod expendens Chrysof. hom. de Iona, *ubique, inquit, saccus : ubique cinis, ubique lachryma : ubique gemitus.* Nam & ipse Rex indutus cilicio, *capiti cinerem imposuit. Et res admiratione digna gerebatur : cilicio purpura cedebat ambitio : & cinis diadematis obruebat ornatum.* Ex quibus fit, ut primus in electis veræ pœnitentiæ effectus esse soleat, abjectio pompæ vestium : cum apud antiquos quoque Romanos, Rei, cujuscumque essent nobilitatis, apparere solerent, ad provocandam misericordiam judicis, sordidati. Hoc specialius locum habet in mulieribus : in quibus superfluum ornatum, tanquam indicem pœnitentiæ fictæ, reprehendit Ambrosius l. 2. de pœnit. cap. 9. ubi, *Videas, inquit, fœminas margaritis onerare aures ? curvare cervices : quas benè Christo, non auro inclinarent. Quæ se ipsas flere debebant, quia margaritam, qua de Ca- lo est, perdiderunt.* Idcirco idem Ambrosius in epist. ad Virginiem lapsam cap. 8. *lugubris, inquit, tibi accipienda est vestis : & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Palescat facies, quæ quondam virnit impudicè. Totum corpus cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat : quia malè sibi de pulchritudine placuit.* Præstitit hoc, quamvis valde leviter in his peccasset, S.

Ambrosius. *Mulierum superfluous cultus reprehenditur.* *Hieronym.* *Paula.* Quæ, ut refert Hieronymus in ejus epitaphio, admonentibus, ut aliquid de suscepta severitate remitteret, respondere sic solebat. *Purganda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & sibi sepe depinxi. Assligendum corpus, quod multis vacavit deliciis : longus risus perpetuo compensandus est fletu : serica pretiosa asperitate cilicij commutanda.* De Fabiola etiam, idem Hieronymus

in ejus vita sic refert. *Faciem*, per quam secundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat: sic dolebat (de voluptatibus superfluis matrimonij) quasi adulterium commisisset. Ex quo apparet illud esse veræ penitentiae signum, si tum in vestibus, tum in cæteris compensetur in pœna illud ipsum, quod fuit in culpa. Quod ad minimum requirit in penitentibus Paulus ad Rom. 6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestra. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

Præstiterunt hoc egregiè duo prædestinatorum penitentium duces, David in veteri testamento, Magdalena in novo. Ille, quia oculis peccaverat, cum vidit mulierem se lavantem. 2. Reg. 11. oculis quoque penitentiam indixit, quod ipse profiteretur Ps. 118. *exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.* Non enim dixit, quia non custodivi, sed quia ipsimet oculi non custodierunt legem tuam, illicito aspectu uxoris alienæ se lavantis. Idcirco David dicit se punire fletibus oculos; quia peccaverat per oculos: ut unde flammam hauserat, inde undas deduceret. Idque tanta vehementia, ut oculi ipsi descendere viderentur in lachrymas. Legunt enim septuaginta, *exitus aquarum descenderunt oculi mei*; eò quod, ut interpretatur Ambrosius serm. 17. in eum Ps. *ipsimet descenderunt oculi*, *Habet enim hoc vis summi doloris: ut cum lachrymis oculi ipsi videantur descendere.* Ad Davidis imitationem hortatur S. Laurentius Novariensis Episcopus hom. 1. de penit. eos quibus peccati occasio extitit oculus, *Cecidit, inquit, per oculum: contaminavit te aspectu suo? abluat te aqua sua. Induxit te in laqueum? eruat te de laqueo. Habet enim in se magnum lachrymarum auxilium. Dic illi; exue, quod implicasti. Tu me vulnerasti: tu me sana. Tu me polluisti: tu me purifica. Ablue, quod inquinasti: erige, quod elisisti: corripe, quod evertisti: absolue, quod per scandalum obligasti.* Hoc præstitit David, ut dictum est; qui punivit oculo culpam contractam per oculum: & in lecto flevit singulis noctibus, quod una nocte peccaverat, ut supra notatum est cum S. Ephrem serm. de jud. & compunct. Præstitit hoc Rahab meretrix; quæ, ut ex traditione Rabbiorum refert Lyranus in cap. 3. Iosue, ideo exploratores missos à Iosue demisit per funem de fenestra, quia solita fuerat per funem excipere fornicarios, & emittere: ut sicut funis fuerat ei instrumentum peccati, sic ei fieret instrumentum salutis.

Præstitit hoc idem exactiùs Magdalena; quæ omnia instrumenta iniquitatis convertit in instrumenta penitentiae: præveniens exemplo dictum Apostoli, *sicut exhibuistis membra vestra*, &c. Nam, quia præcipuè oculis, capillis, osculis, & lascivo unguentorum usu

David punivit in oculis, quod peccaverat per oculos. 2. Reg. 11. Ps. 118.

Ambros.

S. Laurent. Novariensis.

Oculus fletu tergit, quod aspectu inquinaverat.

S. Ephrem. Rahab instrumentum peccati convertit in instrumentum salutis.

LXXXI.

Magdalena instrumenta peccandi convertit in instrumenta penitentiae.

- peccaverat; lachrymis cepit rigare pedes eius: & capillis capitis sui tergebat: & osculabatur pedes eius: & unguento ungebat Luca 7. Quod animadvertens Greg. hom. 13. in Evang. Quod, inquit, sibi turpiter exhibuerat, jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat: sed hos jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat: sed jam lachrymas capillis tergebat. Ore superba dixerat: sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia faciebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se reperit holocausta. Convertit ad numerum virtutum, numerum criminum: ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempsit in culpa. Cyprianus etiam, aut alius auctor hom. de ablut. pedum, de Magdalena loquens, singula, inquit, suum prabuere ministerium. Cor contritum erupit in lachrymas: fides lavit: charitas unxit. De fonte cordis fletus hausit, quos protulit: de pœnitentia pyxide unguenta, qua obtulit. Caput stravit pro suppedaneo: crinibus circumfusus pedes involuit, ac tersit. Nihil de se retinens, totam se tibi devovit: & tu affectum potius attendens, quam factum, ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecus pœnitentem. Hoc idem pœnitentiæ obsequium Magdalena Christo præstitit etiam post acceptam peccatorum remissionem. Nam, ut notat August. serm. 11. ad fratres in eremo, Peccatrix illa Maria non solum in domo Simonis, sed etiam post adventum Spiritus Sancti, semper dolebat: semper peccata, qua commiserat, flebat. Quomodo jam id præstiterit, apparet ex spelunca prope Massiliam: ubi triginta annis sub quadam rupe horrida pœnitentiam egit. Quod ipsamet revelavit cuidam Sancto viro Eremitæ in eadem spelunca degenti, ut habetur in rosa aurea Sylvestri, & apud Lipom. in ejus vita.
- Hoc idem videre est in Petro, qui post trinam negationem, durissimam pœnitentiam egit toto vitæ tempore, pane solo cum olivis, & raro oleribus usus: ut habetur apud Clementem recognit. 1. 7. sive, ut vult Nazianz. or. de paupert. amore, lupinis asse minime venditis famem pellens. Quia verò Petrus peccaverat ter negando, compensavit culpam Christo sui amoris affectum ter declarando, ut habetur Ioan. 21. Quod advertens August. tract. 123. in Ioann. redditur, inquit, negationi trina trina confessio: ne minus amori lingua serviat, quam timori. Idèd curate solent electi, ut in eodem genere ad minimum totidem actus virtutis eliciant, quot in eo genere peccaminosos patnaverint.
- Denique ipsimet Ninivitarum pœnitentiam egerunt non solum in sacco, & cinere; sed etiam in jejunio: promulgato edicto, ut homines, iumenta, & boves, & pecora non gustarent quidquam. Ionæ 3. &c. ut qui peccaverant per crapulam, pœnitentiam agerent per jejunium. Quod expendens Chrysostomus serm. de Zona, Ebrietas, inquit,

Luca 7.
Gregor.

Cyprian.

Magdalene
pœnitentia
post ascen-
sum Chri-
sti.

August.

Petri Pœni-
tentia post
trinam ne-
gationem.
Clemens.
Rom.
Nazianz.

Ninivitarum
pœnitentia.
Iona 3.

Chrysostr.

inquit, & luxuria stantem everterant civitatem: commotam ieiunium solidavit.

Incredibilia sunt, quæ narrat Climacus gradu. 5. de iis, qui post lapsum, ultro, & spontaneè includebant se in eo loco, quem *carcerem poenitentia* appellant. Vidisses, inquit, in illis astuantes linguas, instar canum, ex ore procedentes. (Nempe ob intolerabilem sitim) ex his alij sub ardentissimo solis astu se cruciabant: alij contra acerrimo frigore se affligebant. Nonnulli, cum panis exiguum quid accepissent, reliquum manu longius projiciebant, indignos se, qui rationali cibo uterentur, esse dicentes: quippe qui irrationabiliter egissent. Quem apud illos locum risus habere poterat? quem otiosus sermo? quem iracundia? Vbi apud illos festivitas? ubi confidentia? ubi corporis obsequium, & cura? ubi vel vestigium inanis gloria? ubi deliciarum expectatio? ubi exigua vini cognitio? &c. quæ fusiùs ibi profequitur.

Climacus.
Carcer poenitentium.

Hi sunt fructus digni poenitentia, requisiti ad poenitentiam fructuosam; quæ, ut talis est, prædestinationis est signum, juxta illud Lucæ 3. *Facite fructus dignos poenitentia.* Quæ verba expendens Greg. hom. 20. in Evang. *Aliud est, inquit, fructum facere poenitentia aliud dignum poenitentia fructum facere.* Vt enim secundum dignos poenitentia fructus loquamur, sciendum est, quod quisquis illicita nulla commisit, huic jurè conceditur ut licitis utatur: sicque pietatis opera faciat, ut tamen, quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est; tantò à se licita debet abscindere, quanto se meminit: & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet ejus, qui minus, & ejus, qui magis deliquit: aut ejus, qui in nullis, & ejus, qui in quibusdam facinoribus cecidit; & ejus qui in multis lapsus est. Per hoc ergo, quod dicitur, *facite fructus dignos poenitentia*, uniuscuiusque conscientia convenitur, ut tantò maiora quarat bonorum operum lucra per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam. Explicat hoc idem pensiculatius Chryso. stomus homil. 10. in Matth. ubi explicans hæc eadem verba, *facite fructus dignos poenitentia.* *Fructificare*, inquit, poterimus, si peccatis adversa faciamus. *Aliena rapuisti? incipe donare iam propria.* Longo tempore es fornicatus? legitimum quoque usum suspende coniugij: ac perpetuam continentiam sapius paucorum dierum castitate medicare. *Iniuriam vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba convicijs: & percutientes te nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende.* *Delicijs ante, & temulentia dissuebas? ieiunio, & aqua potu utrumque tempera, ut famem superes imminentem.* *Vidisti impudicis oculis alienum decorem? foeminam iam omnino non videas, maiore tectus cautione post vulnera.* Hæc ibi Chrysoft. qui

LXXXII.
Poenitentia
fructus qui
sunt.
Luc. 3.
Gregor.

Poenitentis
compensa-
tio pro
peccatis.
Chrysoft.

rationem etiam horum reddens, *neque enim, inquit, vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore evellere: sed debet etiam remedia adhibere vulneribus.*

Hæc pœnitentia fructuosa, ponitur signum prædestinationis à Patribus, per opera supererogationis præservativa à futuris peccatis, & satisfactiva pro præteritis. Tum ut peccator cum Deo redeat in pristinam gratiam: & pœnam illam evadat diminutionis divinatorum auxiliorum; quæ causa est reprobus spiritualis ruinæ. Tū ut possit ea opera Deo exhibere in hora mortis in compensationem eorum peccatorum, quæ tunc diabolus è suo codice proferet. Ita legitur apud Climacum grad. 7. accidisse cuidam sancto Anachoretæ: qui singulis peccatis sibi à Diabolo objectis certas quasdam, quas pro iis egerat pœnitentias, opponebat, ut dicitur tractat. sequi. Quamobrem hoc est eorum proprium, qui prædestinati sunt per pœnitentiam, ut præter pœnas rite à Confessario injunctas, ipsimet sibi ipsis voluntarias pœnas imponant commissis peccatis congruas; puta pro peccatis sensualibus tot gestationes ciliciorum, aut tot verberationes, quas disciplinas appellant, aut similes mortificationes in tactu. Pro peccatis superbiæ tot osculationes humi, prostrationes, aut similia. Pro peccatis ortis ex avaritia tot eleemosynas; & sic de cæteris: ut possit in hora mortis exprobranti diabolo respondere cum Anachoreta illo, *feci: sed pro hoc tot annis jejunavi: feci, sed flevi, sed ministravi.*

Bernard.

August.

Pœnitentia est dolentis vindicta.

LXXXIII.

Indulgentiarum usus prædestinationis signum.

Pœnitentia in prædestinatis

Ideo unusquisque post peccatum, ut monet Bernard. serm. de septem donis Spiritus Sancti, *indicet sibi jejunia: corpus castiget, & subiciat servituti: quia non nisi in manu forti liberatio est.* Idem exactius docet Augustinus in serm. de igne Purgatorij, ubi cum multa statuisset facienda pro minutis peccatis, *pro capitalibus*, inquit, *criminibus* (pro peccatis mortalibus) *non hoc solum sufficit: sed addenda sunt lachryma, rugitus, & gemitus: continuata tempore longo, & protracta jejunia. Largius eleemosyna eroganda: in luctu, & tristitia multo tempore permanentes, &c.* Et rationem reddit in l. de vera, & falsa pœnitentia; quia *pœnitentia est quadam dolentis vindicta, puniens in se, quod commississe dolet.* Propter hoc etiam, sive opera bona, quæ fiunt: sive mala pœnæ, & tribulationes à Deo immixtæ ordinari solent à prædestinatis per voluntariam susceptionem ad recompensationem peccata. Et quia hæc non sufficiunt, magnum est prædestinationis signum frequens, & devotus Indulgentiarum usus; ut quidquid satisfactionis ex parte nostra deest, per Christi sanguinem suppleatur. Et hæc de secunda conditione satisfactionis, ut scilicet sit punitiva peccati.

Tertia conditio satisfactionis, ut complet prædestinationis signum, est ut non solum sit vitæ emendativa, de quo supra dictum est, sed etiam meliorativa. Ratio est, quia Deus permittit prædestinatis

peccata, ut eis proficiant ad bonum. Sed non ad bonum æquale illi, quod fuisset citra peccatum. Nulli enim usui deserviret permissio peccati, quod est malum maximum, si citra hanc permissionem haberi potuisset æquale bonum. Ergo permissio peccati in prædestinatis à Deo ordinatur, ut eis cedat ad majus bonum, & juxta Paulum ad Rom. 5. ubi abundavit delictum, ibi superabundet gratia. Ergo post peccatum tunc inerit prædestinationis signum, cum lapsus peccati fuerit occasio proficiendi: & sic verificetur, quod prædestinatis etiam peccata cooperantur in bonum. Hæc est expressa doctrina Ambrosii l. de Apolog. Davidis c. 2. ubi; Sancti, inquit, Domini (hoc enim nomine appellari solent à Patribus prædestinati) qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi fortè, ut homines, corruerint, natura magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acrius ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina. Ut non solum nullum attulisse estimetur lapsus impedimentum: sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. Hoc satis patet ex iis, quæ diximus de fructibus penitentiae post peccatum. Ex quorum additamento electi meliores redduntur, quàm fuerant ante peccatum: ut habeatur intentum Dei de permissione peccati in electis. Quamobrem Gregorius l. 1. in Evangel. hom. 20. Idcirco, inquit, Deus electos nunc in quibusdam lapsibus cadere permisit, ut eis per lamenta penitentia caelestem patriam aperiret. Explicans autem, quæ hæc sint, subdit, exerceamus ergo nosmetipsos in lamentis: extinguentes fletibus, & dignis penitentia fructibus culpas, quas fecimus.

debet esse vitæ meliorativa.

Ambros.

Prædestinatis peccata cooperantur in bonum.

Gregor.

Hæc vitæ melioratio, & cursus quidam velocior ad salutem in electis resurgentibus à peccato, apparet exemplo Davidis, aliorumque, quos supra adduximus: potestque adumbrata quadam similitudine de iis dici, quod de Essenis narrat Solinus. Qui venerunt se penitus abdicabant: pecuniam nesciebant: palmis victitabant. De quibus idem referens Plinius l. 5. cap. 17. gens, inquit, aeterna est, in qua nemo nascitur: tam fecunda illis aliorum vita penitentia est. Similiter hanc non Essenorum, sed electorum gentem penitentia propagat: cum multò plures electi sint per penitentiam, quàm per innocentiam.

Essenorum mores, & austeritas. Solinus. Plinius.

Claudam hoc prædestinationis signum, desumptum à penitentia fructuosa, laudibus, quibus penitentiam extollit Chrysostomus hom. 3. de Penitentia. Penitentia, inquit, est delictorum medicina, iniquitatum consumptio, lacrymarum impensa fiducia ad Deum, adversus Diabolum arma, gladius vim ejus præcidens, & caput amputans, salutis spes, desperationis occasus. Ipsa calum aperit: ipsa diabolum superat: ipsa ducit in Paradisum. Ecce quàm apertè in ea reponit prædestinationis medium, & signum. Præterea sermone de peniten-

Chrysost.

Penitentia encomia.



92 *Tertium prædestinationis signum, &c.*

O *pœnitentia*, inquit, qua peccatum remittis; & paradysum referas: qua agrum sanas hominem, & tristem exbilaras: vitam de interitu revocas: statum restauras: horrorem removes: fiduciam præbes: reformas vires: gratiam abundantiorẽ refundis. O *pœnitentia*, quid de te novi referam? omnia ligata tu soluis: omnia soluta tu referas. Omnia adversa tu mitigas: omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas: omnia desperata tu animas. O *pœnitentia* rutilantior auro, splendidior sole: quam non vincit peccatum: non defectio superat: non desperatio delet. *Pœnitentia* respuit avaritiam: horret luxuriam: fugat furorem: firmat amorem: calcat superbiam: linguam continet: componit mores: odit malitiam: excludit invidiam. Et infra. *Hæc est perfecta, & fructifera pœnitudo.* (Ecce pœnitentiam fructuosam de qua hætenus loquuti sumus) sic pœnitenti præsto est Deus, esurienti vescitor, sitiienti potator. O *pœnitentia* misericordia mater, & magistra virtutum, reos resolves, reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos. Per te nobis Christus regnum calorum appropinquare facit, dicens pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum calorum, Ita & Baptista clamat, facite fructus dignos pœnitentia: quoniam ecce adest regnum Dei (Ex hoc apparet prædestinationis finem promitti pœnitentiæ fructuosæ) Per te subito rapuit latronem Christus ad regnum. Per te David post flagitium felix, iterum recepit Spiritum Sanctum. Per te Manasses, &c. quæ videre est ibi copiosissimè aureo illo flumine redundantia. Similia habet Aug. tomo 10. serm. 4. inter communes. Denique pœnitentiam singulare esse prædestinationis & medium, & signum, maximè apparet ex eo, quod Christus, prædestinationum omnium caput, suscepit Baptismum Ioannis, qui appellabatur *baptismus pœnitentia*. Marc. 1. & ut notat Ambrosius l. 2. in Lucam c. 3. *Christus lavacrum pœnitentia non refugit.* In quo satis ostendit, quid faciendum sit unicuique fidelium, qui post commissa peccata sperare non potest prædestinationis terminum, nisi per pœnitentiam. Ut igitur hoc in se signum prædestinationis apponat, debet unusquisque reliquum vitæ tempus non nisi pœnitentiæ tribuendo ita apud se statuere cum Tertulliano l. de pœnit. cap. ultimo. *peccator totius nota sum; & nulli rei, nisi pœnitentia natus.*

August.

Marc. 1.
Ambrosius.

Christus
lavacrum
pœnitentiæ
non refugit.
Homo pœ-
nitentiæ
natus.
Tertull.

